EMUNDI
MERILLII
TRICASSINI J. C.

A Consiliis Regis, Antecessoris in Academia Metropolis Biturigum Primicerii

LIBER SINGULARIS

DIFFERENTIARUM JURIS

Restitutus ex Libris Manualium

JULII PAULI.



NEAPOLI, A. 1720. Operis Typographicis Felicis Mosca.

SUMTU BERNARDINI GESSARI.

CENSORUM FACULTATE, ET PRIVILEGIO.



INDEX CAPITUM LIBRI SINGULARIS

Differentiarum Juris.




CA-




CAPUT I.

De Libris Manualium JULII PAULI.



Ullius Paulus libros tres *Manualium* videtur inscripsisse, quasi libri isti semper prae manibus haberi debeant, & quasi *manticularia*. Sextus Pompejus: *Manticularia dicuntur ea, quae frequenter in usu habentur, & quasi manu tractantur.* Graeci πρόχειρα dixerunt, ut Const. Harmenopulus. Aliud videtur esse ἐγχειρίδιον in praefatione Plinii ad *Vespasianum*, & apud Gellium *lib.* 20. *cap. ult.* Libellus, puta, brevior; ut Pomponii liber singularis Enchiridii in Indice Florentino. Potiùs ita dictus, quòd manu ferri possit, ut pugio etiam ἐγχειρίδιον, quàm quòd manibus teri, haberive debeat. In hisce libris Manualium Julius Paulus differentias juris exsecutus fuerat, ut ex fragmentis, quae supersunt, deprehendimus. Et ideo Manualium inscripserat, quia differentiae juris ad manum semper, & in promptu esse debeant; ut differentiis observatis, responsa juris auctorum aliam, atque aliam interpretationem accipiant. Quos autem libros Paulus *Manualium* inscripserat, Modestinus postea *Differentiarum* apertiùs inscribere voluit. Paulo Modestinus postumavit, qui usque ad tempora Gordiani pervenit. *L.* 5. *C. ad exhibend.* quique ut Ulpiani studiosus fuit, *L. si quis.* 52. §. *si quis asinum. D. de furtis*, ita & Pauli aequalis Ulpiano studiosus esse potuit. Et quidem nonnullas, quas Paulus in libris *Manualium* differentias attigerat, Modestinus quoque in libris *Differentiarum* attigit. Quam differentiam Paulus attigerat *lib.* 1. *Manualium*, in *L. ult. D. commun. praedior.* circa servitutes, quae pro parte acquiri non possunt, & pro parte retineri possunt: Modestinus attigit *lib.* 6. *Differentiarum*, in *L. pro parte.* 11. *D. de servitutib.* Quam differentiam Paulus attigerat *lib.* 2. *Manualium*, circa heredis appellationem, in *L. sciendum est.* 227. *D. de verbor. significat.* Modestinus attigit *lib.* 1. *Differentiarum*, in *L.* 3. *D. de vulg. & pupill. substitut.* & *lib.* 6. *Differentiarum*, in *L.* 7. *D. de his, quae ut indign.* & *L. qui per successionem.* 194. *D. de regul. jur.* Quam differentiam Paulus attigerat *lib.* 2. *Manualium*, inter levem, & latam culpam. *L. magna.* 226. *D. de verbor. significat.* Modestinus attigit *lib.* 2. *Differentiarum*, in *collat. leg. Mosaic. cum leg. Roman. tit.* 10. *de deposito.* Quam differentiam Paulus attigerat *lib.* 2. *Manualium*, in *L. & exheredatum.* 49. *D. de re judicat.* inter maritum, & donatorem, qui in quantum facere possunt, condemnantur: Modestinus attigit *lib.* 2. *Differentiarum*, in *L. non tantùm.* 20. *D. de re judicat.* Plures autem alias differentias, quas Paulus in libris *Manualium* exsecutus fuerat, probabile est à Modestino fuisse praetermissas, ne actum agere videretur.

FRAG-



FRAGMENTA QUAE SUPERSUNT ex Lib. I. Manualium Jul. Pauli.

Lex, Per procuratorem. 72. D. de procuratoribus.
L. ult. D. quod cujusque universit. nom.
L. si servus. 27. D. quib. mod. ususfruct. vel us. amittitur.
L. nemo. 39. D. de servitutib. praed. urbanor.
L. ult. D. de servitutib. praed. rusticor.
L. ult. D. commun. praedior. tam urbanor. quàm rusticor.
L. illud. 83. D. pro socio.
L. si quis alicui. 48. D. de acquir. vel omitt. heredit.
L. ult. D. de mort. caus. donationib.
L. ususfructus. 26. D. de stipulat. servor.
L. magna. 226. D. de verbor. significat.

Fragmenta ex Lib. II. Manualium Pauli.

L. si socius. 89. D. de heredib. instituend.
L. filio. 7. D. ut legatorum, seu fideicommissor.
L. ult. D. de oper. libertor.
L. quaedam. 62. D. de acquir. rer. dom.
L. penult. D. de usurpat. & usucap.
L. Et exheredatum. 49. D. de re judicat.
L. si quis. 51. D. eod.
L. Et stipulationum. 14. D. de duob. reis.
L. servus. 27. D. de stipulat. servor.
L. ult. D. de solut. & liberat.
L. is, cujus. 85. D. de furt.
L. ex illa. 227. D. de verb. significat.

Ex Libro III. Manualium Pauli nullum extat Fragmentum.

PAV-

PAULUS lib. 1. Manualium, in *L. per procuratorem*. 72. *D. de procuratorib.*


PEr procuratorem * *non semper adquirimus actiones*, * *sed retinemus: veluti si reum conveniat intra legitimum tempus; vel si prohibeat opus novum fieri, ut interdictum nobis utile sit* Quod vi, aut clam: *nam & hic pristinum jus nobis conservat.*

CAPUT II.

Differentia inter actiones, quae per procuratorem acquiruntur, vel non, quaeque per eum retinentur.

DUas hîc Paulus differentias attigit, quas asteriscus signat: nam cùm ait, *per procuratorem non semper adquirimus actiones*, prima differentia inde colligitur, quòd quandoque acquiramus, & quandoque non acquiramus. Secunda differentia est, quòd per procuratorem actiones non semper nobis acquiruntur; at semper actiones per eum retinemus. Equidem regulariter per procuratorem actio nobis non acquiritur veluti si Titius Maevii procurator Maevio dari stipuletur. *L. si ita.* 126. §. *Chrysogonus.* ℣. *plane. D. de verb. obligat. L.* 3. *C. de contrahen. & commit. stipulat. L.* 3. *C. de inutilib. stipulat.* vel si Titius Maevio fundum emerit. *L. quaecumque.* 11. *D. de oblig. & act. L.* 6. *C. si quis alteri, vel sibi*, &c. vel si nomine ipsius pignus acceperit. *L. solutum.* 11. §. *per liberam. D. de pign. act.* Quandoque autem per procuratorem nobis actio acquiritur: veluti si praesenti domino stipuletur, & ex re ipsius. *L. quod procurator.* 68. *D. de procuratorib. L. si procuratori.* 79. *D. de verb. obligat.* veluti ex stipulationibus praetoriis. *L.* 5. *D. de stipulat. praetor.* veluti si procurator nummos domini mutuos dederit. *L. certi.* 9. §. *si nummos. D. de reb. credit. d. L. si ita.* 126. §. *Chrysogonus. D. de verb. obligat.* Sed & dominus ex contractu procuratoris actionem habet, si aliter rem suam servare non possit. *L. Julianus.* 13. §. *si procurator.* 25. *D. de act. empt.* Ita igitur non semper, sed quandoque, per procuratorem nobis actio acquiritur. At per eum semper actiones retinemus: puta, si actiones tempore perituras moverit, quae aut sex mensibus, ut redhibitoria; aut annò, ut praetoriae; aut alio tempore longiori finiuntur. Sed & si procurator promissorem interpellaverit, perpetuam facit obligationem, quae interitu rei extingueretur. *L. si quis* 24. in fin. *D. de usur. & fruct.* Sed finge, procuratorem nomine domini opus novum vicino nunciare, seu prohibere, ne opus novum fiat: itane acquirit, vel retinet

net actionem? Ita quidem ex nunciatione procuratoris competit domino interdictum *Quod vi, aut clam. L. si procurator.* 17. *D. de oper. novi nunciat.* sed magis pristinum jus conservat, seu magis retinet actionem, quàm acquirit. Haec enim prohibitio novi operis, quam facit procurator, demonstrat, te vi facere: & si procurator non prohibuisset, nihilominus dominus haberet actionem; ita ut magis factô vicini delinquentis, quàm factô procuratoris domino actio acquiri videatur. *L.* 3. in princip. *D. quod vi, aut clam.* Ita igitur per procuratorem faciliùs actio retinetur, quàm per eum acquiritur: ut quidem aliàs facilius est acquisita retinere, quàm acquirere. Servitus pro parte non acquiritur. *L. pro parte.* 11. *D. de servitutib. L.* 6. §. *si tamen. D. com. praedior.* sed pro parte retinetur. *L.* 8. §. 1. *D. de servitutib. L. unus.* 34. *D. de servitutib. praedior. rustic. L. plurib.* 140. *D. de verbor. obligat.* Possessio non nisi animô, & corpore acquiritur. *L. quemadmodum.* 8. *D. de acq. vel amitt. possess. L. fere.* 153. *D. de regul. jur.* sed animô solô retinetur. *L.* 3. §. *sed etsi animo.* 7. & §. *saltus.* 11. *D. de acq. vel amitt. possess.*



PAULUS lib. 1. Manualium, in *L. ult. D. quod cujusque universitatis nomine.*

*Constitui potest actor etiam ad operis novi nunciationem, & ad stipulationes interponendas: veluti legatorum, damni infecti, judicatum solvi: * quamvis servo potiùs civitatis caveri debeat. Sed & si actori cautum fuerit, utilis actio * administratori rerum civitatis dabitur.*

CAPUT III.

Differentia inter actorem, & administratorem civitatis: inter stipulationem servi publici, & inter stipulationem actoris.

Jungi potest cum *L. per procuratorem.* 72. sup. *de procuratorib.* ubi agitur de actione, quae per procuratorem domino acquiritur: hìc autem de actione, quae per actorem administratori civitatis acquiritur. Et duas quidem Paulus hîc differentias attigit. Prima est inter actorem, & administratorem civitatis. Secunda inter stipulationem servi publici, & stipulationem actoris, qui est libera persona. Alii sunt actores, alii administratores civitatis. Veluti alii procuratores dantur à privatis ad lites, seu actiones movendas, vel ad suscipiendas. *L. sed si.* 13. *D. de pact. L. si cum.* 66. §. *si secundus. D. de evictionib. L. hoc jure.* 80. *D. de solut. & liberat.* alii procuratores dantur ad negotia certa, vel universa. *L. procurator.*

tor. 63. *D. de procuratorib. L.* 7. *D. de calumniatorib.* Alii sunt curatores, qui dantur adolescentibus ad lites; alii, qui dantur ad negotia. §. *ult. Instit. de curatorib.* Ita alii sunt actores, seu syndici, qui constituuntur à civitate, ut actiones nomine civitatis moveant, vel excipiant. *L.* 1. §. *quibus. L.* 6. §. *ult. D. quod cujusque universit. L. ita.* 27. in princ. *D. ad SCtum Trebell. L. ult.* §. *defensores. D. de munerib. & honorib. L.* 8. *D. de pollicitationib.* Et ita Paulus ait in hac *L. ult.* actorem posse constitui ad novi operis nunciationem, & ad interponendas stipulationes praetorias, quae actionis instar obtinent. *L. actionis.* 37. *D. de obligat. & actionib.* administratores autem sunt, qui bona, seu res ad civitatem pertinentes administrant. *L. qui mittitur.* 35. §. *ult. D. ex quib. cauf. major. L. si is, qui.* 11. *D. de pignorib. & hypothec. L. Lucius.* 46. §. 1. *D. de administrat. & pericul. tutor. & curator.* Hic etiam Paulus differentiam attigit inter actorem, & administratorem civitatis: quòd actor sit, qui acquirat actiones; & administrator sit, cui actiones acquirantur. Paulus ait, *Constitui potest actor etiam ad operis novi nunciationem, & ad stipulationes interponendas*: id est, non solùm actor constitui potest ad actiones exercendas, excipiendasve nomine civitatis, ut praemissum fuerat d. *L.* 1. §. *quibus. d. L.* 6. §. *ult.* sup. *eod. tit.* sed etiam ut acquirat actiones civitati, seu administratori civitatis: veluti ad operis novi nunciationem, aut interdictum *Quod vi, aut clam*; quae per procuratorem nobis acquiruntur. *L. si procurator.* 17. *D. de oper. nov. nunc. L.* 3. *D. quod vi, aut clam.* Puta, si civitas praedia habeat, & in his vicinus novum opus faciat, actor constitui potest, qui novum opus nunciet, seu prohibeat. *L.* 5. §. *meminisse. D. de oper. nov. nunc.* Constitui quoque potest ad stipulationes praetorias interponendas, ex quibus etiam per procuratorem nobis actio acquiritur. d. *L.* 72. *D. de procuratorib.* & *L.* 5. *D. de stipulat. praetor.* Veluti si civitati legatum relictum fuerit, actor satisdationem ab herede exiget, ut caveat heres his diebus legata civitati praestari, quibus testator praestari voluit. Jam enim receptum erat, ut civitatibus legari posset, quamvis incertis personis. *L. civitatibus.* 112. *D. de legat.* 1. atque etiam corporibus, & collegiis licitis exemplô civitatum. *L. cum Senatus.* 20. *D. de reb. dub.* ut exposuimus *lib.* 4. *observat. cap.* 16. Ita actor exiget stipulationem damni infecti, si publicis aedibus à vicinis damnum timeatur; & stipulationem judicatum solvi, ut is, cum quo agitur, caveat se praestiturum, quod judex in condemnationem deduxerit. *L. judicatum.* 9. *D. judicat. solv. Secundam* differentiam hac *lege ult.* Paulus attigit, ubi ait, *quamvis servo potiùs civitatis caveri debeat*. Nam per servum publicum ex stipulatione actio directa, & ipso jure acquiritur. *L.* 3. *D. de stipulat. servor.* per actorem utilis. *L.* 5. §. *si actori. D. de pecun. const.* ut aliàs per liberam personam non ipso jure, sed utilis actio acquiritur. *L.* 4. §. *plane. D. de magistratib. conveniend. L. si procuratori.* 79. *D. de verb. oblig. L.* 3. & 4. *D. rem pupilli, vel adolescent. salu. for.*

PAULUS lib. 1. Manual. in *L. si servus. 27. D. quib. mod. ususfruct. vel usus amitt.*


SI servus, in quo ususfructus alienus est, noxae dedatur à domino proprietatis usufructuario, liberabitur confusâ servitute.*

CAPUT IV.

Deprehenditur differentia inter usumfructum, qui finitur consolidatione, seu proprietatis acquisitione, & inter eum, qui finitur aliis modis.

TItius habebat usumfructum in servo, Maevius proprietatem: servus fructuarius furtum fecit, vel damnum dedit. Titius egit noxali actione adversùs Maevium, & Maevius fructuario servum noxae dedidit. Eâ noxae deditione proprietas servi transiit ad fructuarium. §. 4. *Instit. de noxalib. act.* & ita confusa fuit servitus cum ipsa proprietate. *L. 4. D. usufruct. quemadmod. caveat.* Quae res* consolidatio dicitur, sive dominus proprietatis acquisierit usumfructum. *L. cum in fundo. 78. §. 2. D. de jur. dot.* sive fructuarius proprietatem. §. *finitur. Instit. de usufruct.* & ideo consolidatio dicitur, quia aliquid totum, seu solidum fit ex duobus separatis; putà, usufructu, & proprietate. Quando igitur dominus servum fructuario noxae dedidit, ita proprietas fructuario acquiritur, & confunditur servitus cum proprietate, & fructuarius liberatur. Id quidem verbum in *L. 27. D. quib. mod. ususfruct. vel us. amitt.* referri potest ad dominum proprietatis, qui liberatur noxae deditione: sed magis est, ut referatur ad fructuarium, qui acquisitione proprietatis, & confusione servitutis liberatur stipulatione, quâ cavit, se usurum viri boni arbitratu, & finitô usufructu restituturum, quod inde extabit. *L. 1. D. usufruct. quemadmod. cav.* Et liberatur vel ipso jure, vel exceptione in factum. d. *L. 4. D. eod. tit. usufr. quemadm. cau.* Hanc igitur differentiam Paulus attingere voluit in hac *L. 27.* finitô usufructu per consolidationem, seu confusionem servitutis, fructuarium liberari: qui tamen non liberatur aliis modis finitô usufructu, puta, capitis minutione, vel inusu. Veluti autem confunditur servitus ususfructûs, quae est personalis, acquisitione proprietatis. d. *L. 4. D. usufructuar. quemad. cav.* ita etiam confunduntur servitutes rerum, seu jura praediorum, urbanorum, & rusticorum, cum quis dominus praedii servientis, & dominantis esse coeperit. *L. in omnibus. 18. D. de servitutib. L. si quis aedes. 30. D. de servitutib. praedior. urbanor. L. 1. D. quem-*

D. quemadmod. servitut. amitt. L. legatarius. 38. §. 1. & *L. legatum.* 116. §. *ult. D. de legat.* 1. ita etiam confunditur obligatio, cum jus creditoris, & debitoris in eandem personam recidit. *L. si ei.* 41. *D. de evictionib. L. Stichum.* 95. §. *aditio. & L. penult. D. de solut. & liberat.*



PAULUS lib. 1. Manualium, in *L. nemo.* 39. *D. de servitutib. praedior. urbanor.*


*Nemo enim * propriis aedificiis servitutem imponere potest; nisi & is, qui cedit, & is, cui ceditur, in conspectu habeant ea aedificia, ita ut officere alterum alteri possit.*

CAPUT V.

Differentia quaedam deprehenditur inter servitutes urbanorum, & servitutes rusticorum praediorum.

Cum praemissum esset ex *lib.* 2. *Quaestionum* Pauli, in *L. si aedes.* 38. *D. de servitutib. praed. urban. Si aedes meae à tuis aedibus tantum distent, ut prospici non possint; aut medius mons earum conspectum auferat, servitus imponi non potest.* Sequitur, quod est in *L.* 39. *eod. tit.* Finge, Titius & Maevius habebant aedes in eâdem viciniâ, sed tamen ita remotas, ut invicem prospici non possent; vel medius mons earum conspectum auferret. Ait Paulus in d. *L.* 39. servitutem imponi non posse; puta, ne aedes Titii officiant prospectui aedium Maevii. Quia servitutum ea natura est, ut aliquam utilitatem habeant; alioqui inutiliter constituuntur. *L. quotiens.* 15. *D. de servitutib. L.* 4. in fin. & *L.* 8. §. *ult. D. si servit. vindicet.* at servitus, quam Titius Maevio cederet, inutilis esset Maevio, cum non posset officere. hac *L.* 39. At cùm officere potest, utiliter constituitur: veluti altiùs tollendi non modò vicinis aedibus, sed etiam ulterioribus rectè imponitur: puta, si inter aedes Titii, & Maevii aliae interjectae sint. *L.* 4. & 5. *D. si servit. vindicetur. L.* 6. & 8. *D. comm. praedior.* quia non sunt adeo remotae, quin Titius aedes suas altius tollendô aedibus Maevii officiat: & ita utilis servitus esse potest. Videtur tamen obstare *L. penult. D. de servitutib.* ubi constitui potest servitus aquae ducendae, licèt praedio utilis non sit. Finge, Titius cesserat Maevio servitutem aquae ducendae, ut Maevio per fundum Titii aquam ducere liceret. Eo tempore, quo Titius cedebat servitutem, Maevio erat inutilis, nec expediebat ei, ut aquam duceret. Labeo ait, nihilominus constitui posse servitutem. Is est Antistius Labeo, qui in Graecas, anti-

quibusque litteras sese penetraverat, ut loquitur Gellius *lib.* 13. *cap.* 10. & cùm ait in d. *L. penult. D. de servitutib.* *Quaedam enim debere habere possumus, quamvis ea nobis utilia non sint*: respicere videtur ad illud Aristophanis, quod refert Suidas in *v.* διακναιομένου. χρέος μὲν οὐδὲν, βούλομαι δ' ὅμως λαβεῖν. i. e. *nihil est opus, attamen volo capere*. Ait igitur Labeo in d. *L. penult. D. de servitutib.* constitui posse servitutem aquae ducendae, quia interest Maevii habere servitutem, non tantùm ratione utilitatis, ut ager irrigetur; sed etiam voluptatis, seu amoenitatis causâ. *L.* 3. *D. de aq. quotid. & aestiv.* Tum quia fieri potest, ut scaturigines, quae sunt in agro Maevii, exarescant; & olim expediat Maevio, per fundum Titii aquam ducere. Igitur servitus utiliter constituitur non ratione praesentis, sed futurae utilitatis. At in hac *L.* 39. ea servitus constituebatur, quae & eo tempore, quo constituebatur, & in posterum inutilis futura erat: ideoque Paulus ait, imponi non posse. Ceterùm in hac *L.* 39. & *L. ult. D. de servitutib. praedior. rusticor.* quae est ex eod. *lib.* 1. *Manual.* differentiam Paulus attingere voluit inter servitutes urbanorum, & servitutes rusticorum praediorum: quòd in urbanis praediis constitui non possit servitus, si aedificia ita longè distent, ut invicem prospici non possint; vel si mons medius fuerit. At in rusticis praediis constitui possit, si fundi longè distent, etsi flumen interjectum sit. Ratio differentiae est, quòd mons inter aedificia medius impedit utilitatem servitutis; efficitque, ut semper inutilis servitus futura sit. At flumine interjectô, utilis servitus esse potest; si aut ponte, aut vadô flumen transiri possit. d. *L. ult. D. de servitutib. praedior. rusticor.*



PAULUS lib. 1. Manualium, in *L. ult. D. de servitutib. praedior. rusticor.*

Flumine interveniente, via constitui potest, si aut vadô transiri potest, aut pontem habeat. Diversum, si pontonibus trajiciatur. Haec ita, si per unius praedia flumen currat: alioquin si tua praedia mihi vicina sint, deinde flumen, deinde Titii praedia, deinde via publica, in quam iter mihi adquiri volo: dispiciamus, ne nihil vetet, à te mihi viam dari usque ad flumen; deinde à Titio usque ad viam publicam. Sed videamus, num & si tu eorum praediorum dominus sis, quae trans flumen intra viam publicam sint, idem juris sit: quia via consummari solet, vel civitate tenus, vel usque ad viam publicam, vel usque ad flumen, in quo pontonibus trajiciatur, vel usque ad proprium aliud ejusdem domini praedium. Quod si est, non videtur interrumpi servitus, quamvis inter ejusdem domini praedia flumen publicum intercedat.

CA-

CAPUT VI.

Differentia inter flumina, quae interjecta servitutes praediorum rusticorum impediunt, vel non.

Titius habebat praedium cis flumen, & Maevius habebat aliud praedium trans flumen. Quaerebatur, an Titius posset cedere servitutem viae Maevio, ut Maevius per fundum Titii ire, agere posset. Et in urbanis quidem praediis aedes mediae non impediunt servitutem. *L.* 5. *D. si servit. vindicet.* Sed in rusticis praediis medium praedium, quod non servit, impedit servitutem: Puta, si inter praedium Titii, & Maevii Sempronius medium praedium habeat, non poterit Titius Maevio servitutem viae cedere. *L. qui sella.* 7. in fin. *D. de servitutib. praed. rusticor. L. in tradendis.* 7. in fin. *D. comm. praedior.* Atque ita videretur flumen interjectum inter praedium Titii, & Maevii, impedire, quominus Titius Maevio servitutem viae cedere posset. Paulus tamen ait, medium flumen non impedire servitutem. Et ratio est, quòd veluti via publica interveniens, vel alius locus publicus, non impedit servitutem, *L. servitutes.* 14. §. *publico. D. de servitutib.* ita flumen medium servitutem impedire non debet: & ut per viam publicam cuique ire licet, ita & per flumen navigare, quod est publicum. *L.* 4. *&* 5. *D. de rer. divis.* Sed Paulus hîc distinguit, non impediri servitutem, si flumen medium vadô, aut ponte transiri possit, & non sit impedimento transeunti magnitudo fluminis. *L. si priùs.* 17. §. *via. D. de aq. & aq. pluv. arcend. act.* sed si flumen pontonibus trajiciatur, servitutem impediri. Pontones sunt genus navigii Gallici, ut refert Jul. Caesar *lib.* 3. *de bell. civili.* Quo verbo & Aquitani utuntur, & transvectores fluminum pontonarios vocant. Ratio differentiae est, cur flumen, quod ponte, aut vadô transitur, non impediat servitutem; & illud, quod pontonibus trajicitur, impediat: quia servitutes utrorumque praediorum perpetuam causam habere debent. *L. foramen.* 28. *D. de servitut. praedior. urbanor.* Eâque ratione servitus aquae haustus, vel aquae ducendae ex stagno, lacuve, aut puteô cedi non potest, si aqua jugiter non fluat. *L.* 1. *D. de fonte.* At cum flumen vadô, vel ponte transitur, perpetua est causa servitutis; cum perpetuò ita transiri possit. Ubi verò pontones sunt necessarii ad trajiciendum flumen, fortè erit, ut desint pontones, aut etiam ut tanta sit vis fluminis, quod nec pontonibus trajici possit. d. *L. si priùs.* 17. §. *via. D. de aqu. & aq. pluv. arcend. act.* & ita servitus perpetuam causam non haberet.

PAU-



PAULUS lib. 1. Manualium, in *L. ult. D. comm. praedior. tam urbanor. quàm rustic.*


*RECeptum est, ut plures domini, & non pariter cedentes, servitutes imponant, vel adquirant: ut tamen ex novissimo actu etiam superiores confirmentur; perindeque sit, atque si eodem tempore omnes cessissent. Et ideo si is, qui primus cessit, vel defunctus sit, vel alio genere, vel alio modo partem suam alienaverit; post deinde socius cesserit, nihil agetur. Cum enim postremus cedat, non retro adquiri servitus videtur: sed perinde habetur, atque si post, cum postremus cedat, omnes cessissent. Igitur rursùs hic actus pendebit, donec novus socius cedat. Idem juris est, & si uni ex dominis cedatur, deinde in persona socii aliquid bonum acciderit. Ergo & ex diverso, si ei, qui non cessit, aliquid tale eorum contigerit, ex integro omnes cedere debebunt. Tantum enim eis tempus remissum est, quo dare facere possunt, vel diversis temporibus possint: & ideo non potest uni, vel unus cedere. Idemque dicendum est, & si alter cedat, * alter leget servitutes: nam si omnes socii legent servitutes, & pariter eorum adeatur hereditas, potest dici utile esse legatum: si diversis temporibus, inutiliter dies legati cedit. Nec enim, * sicut viventium, ita & defunctorum actus suspendi receptum est.*

CAPUT VII.

Differentia inter cessionem, & legatum servitutis; inter actus defunctorum, & viventium, qui aliter, atque aliter suspenduntur.

PRimus, secundus, & tertius, habebant fundum communem pro indiviso. Primus cessit servitutem viae Titio vicino: puta, ut Titius per fundum communem jus eundi agendi haberet, & quod amplius via continet. *L. qui sella. 7. §. 1. D. de servitut. praedior. rustic.* Paulus ait, cessione Primi non esse servitutem constitutam: quia servitutes divisionem non recipiunt, & pro parte constitui non possunt. *L. pro parte. 11. D. de servitutib. L. stipulationes. 72. & L. pluribus. 140. D. de verb. obligat.* Ita ergo Primus pro parte sua in fundo communi servitutem imponere non potuit, *L. 2. D. de servitutib. L. si unus. 19. D. de servitut. praedior. rusticor. L. 5.* sup. *hoc tit.* Sed finge, Primum cessisse servitutem viae per fundum communem; deinde Secundum, & Tertium dominos etiam fundi communis eandem servitutem viae Titio cessisse. Secundùm subti-

subtilem rationem non videretur servitus acquisita Titio, quae per partes acquiri non potest; sed benignâ ratione, puta juris Praetorii, servitus novissimâ cessione confirmatur, perinde ac si tres domini fundi communis non diversis temporibus, sed eodem tempore cessissent servitutem. *L. per fundum.* 11. *D. de servitutib. praedior. rusticor. L.* 6. §. 2. *sup. hoc tit.* Quod tamen ita intelligendum est, non ut cessio facta à Primo retrotrahatur, aut valere intelligatur ex eo tempore, quo cesserit; sed ex eo demum, quo novissima cessio subsecuta fuerit. Cum enim servitutes sint jura, & in jure consistant, non facilè res juris retrotrahuntur. *L. quid ergo.* 11. *D. de his, qui not. infam. L. si quis.* 25. §. *jussum. D. de acquir. vel omittend. heredit.* ut ostendimus *lib.* 2. *Observat. cap.* 38. Finge adhuc, Primum cessisse servitutem per fundum communem; deinde Secundum, & Tertium dominos quoque ejusdem fundi communis eandem servitutem legasse testamentô; aditâque hereditate Secundi, & Tertii, diem legatae servitutis cessisse. *L.* 3. *D. de servit. legat.* Quaeritur, an cessio à Primo facta legatô aliorum confirmetur? Paulus ait, posse quidem novissimâ cessione confirmari servitutem, si Secundus, & Tertius postea cesserint; non tamen confirmari legatô, si Secundus, & Tertius eandem servitutem legaverint. Rationem subjicit, quia actus defunctorum non suspenduntur, ut actus viventium: suspenduntur tamen actus defunctorum, sed non eo modo suspenduntur. Et hîc duas differentias Paulus attigit: unam, quae est inter cessionem, & legatum servitutis; alteram, quae est inter actus defunctorum, & viventium. Ratio differentiae est, cur servitus cessione postea ab aliis factâ confirmetur, non legatô ab aliis factô: quia, cùm fit novissima cessio servitutis à Tertio, eo tempore Primus, qui inter vivos agit, eandem servitutem adhuc cedere posset: & cum Primus antea cesserit, perinde est ac si cum ceteris cederet. At cùm Tertius legat, & legatum servitutis relictae cedit aditâ hereditate Tertii, eo tempore Tertius rebus humanis exemptus, non posset cedere servitutem: & ita actus viventium aliter, quàm actus defunctorum suspenduntur. Idque Paulus probaverat duobus exemplis subjectis, quorum unum est in *L. si quis.* 48. *D. de acquir. vel omitt. heredit.* alterum in *L. ususfructus.* 26. *D. de stipulat. servor.* ex eodem *lib.* 1. *Manualium*, quae huic *legi ult.* subtexendae sunt.



PAULUS lib. 1. Manualium, in *L.* 83. *D. pro socio.*

Illud quaerendum est: arbor, quae in confinio nata est; item lapis, qui per utrumque fundum extenditur; an cùm succisa est arbor, vel lapis exemptus, ejus sit, cujus fundus pro eâ quoque parte singulorum esse debeat, pro quâ parte in fundo fuerat. An, quâ ratione duabus massis duorum dominorum conflatis tota massa communis est; ita arbor, hoc ipso, quod separatur à solo, propriamque substantiam in unum corpus redactam ac-


accipit, multò magis communis pro indiviso fit, quàm massa. Sed naturali convenit ratione, & postea tantam partem utrumque habere tam in lapide, quàm in arbore, quantam & in terra habebat.

CAPUT VIII.

Differentia arborum, & lapidum in confinio, dum adhuc terrâ tenentur; vel cum arbor eruta, lapisve exemptus est.

Titius, & Maevius habebant praedia vicina, inter quae erat confinium, seu spatium aliquod medium, quod fines utriusque praedii distinguebat. In eo confinio arbor nata est, vel lapis. Si quidem arbor ex confinio in utroque praedio aequè serpat, ut loquitur Varro *lib. 4. de ling. Latin.* id est, aequè radices agat; vel si lapis in confinio in utrumque praedium aequè protendatur: arbor, & lapis erunt communes Titii, & Maevii, qui praedia habent vicina; ita ut in arbore, vel lapide aequas partes habeant. Sed si plures radices arbor in praedium Titii egerit, & pauciores in praedium Maevii: aut lapis magis propensus fuerit in praedium Titii, & minùs in praedium Maevii; non erit arbor, vel lapis aequè communis, sed pro regione cujusque praedii. *L. pro regione.* 8. *D. de acquir. rer. dom.* quia arbor, & lapis ejus praedii plus minusve esse debent, ex quo majus minusve capiunt nutrimentum. *L. si plures.* 6. §. 3. *D. arbor. furt. caesar.* nec inspiciendus est locus, ex quo arbor habet originem, sed ex quo nutrimentum capit, & ubi radices agit. *L. sed & si.* 26. §. 2. *D. de acquir. rer. dom.* Sed finge, arborem, quae in confinio nata erat, & varias radices egerat in praedio Titii, & Maevii, succisam fuisse; aut lapidem terrâ exemptum fuisse. Quaerit hîc Paulus, an arbor, & lapis communis sit Titii, & Maevii, ut aequas in ea arbore, vel lapide partes habeant: an verò arbor, vel lapis pro ea parte communis maneat, ex qua fuerat, dum terrâ tenebatur; id est, pro ratione nutrimenti, quod arbor, vel lapis ex utriusque praedio capiebat. Movet, quòd si duorum dominorum massae simul conflatae fuerint, unamque substantiam fecerint, massa utriusque fit communis. §. *si duorum.* 29. *Instit. de rer. divis. L. adeo.* 7. §. *sed & si. D. de acquir. rer. domin.* Ita duo domini ex casu in societatem, & communionem incidunt. Societas quaedam est voluntaria, quae fit ex conventione, ex tractatu habitô: quaedam est involuntaria, cùm duo, pluresve ejusdem rei communionem habent; veluti si duobus fundus conjunctim legatus sit. *L. 2. D. comm. divid.* & haec societas propriè communio dicitur. *L. cum pater.* 77. §. *dulcissimis. D. de legat.* 2. Cum igitur massae duorum dominorum simul conflatae fuerint, in communionem incidunt; & substantia utrius-

utriusque massae conflatae sit communis. Ita dicendum videretur, arborem terrâ erutam, vel lapidem terrâ exemptum, unam substantiam facere, & communem esse Titii, & Maevii. Idque secundùm proportionem Arithmeticam, quae pariter omnia metitur. Paulus tamen existimat, magis esse consentaneum naturali rationi, ut arbor, vel lapis communis maneat pro ea parte, qua communis fuerat, dum terrâ tenebatur. Idque secundùm proportionem Geometricam: quia si majus nutrimentum arbor, lapisve in terra Titii capiebat, majorem partem Titius habere debet; si verò minus nutrimentum in terra Maevii, Maevius minorem quoque partem habere debeat. Idque etiam in massa conflata Ulpianus ex Pomponio refert, ut unusquisque partes in massâ habeat, pro rata ponderis. *L.* 3. §. 2. *D. de rei vindicat.* Ex quibus apparet, Paulum hîc attingere voluisse differentiam arborum, & lapidum in confinio, dum adhuc terrâ tenentur; & dum arbor, lapisve terrâ exemptus est. Idque fortè in quaestionem venerat apud utriusque scholae auctores, quorum alii proportionem Arithmeticam, alii Geometricam sequebantur, ut ostendimus *lib. 4. observat. cap.* 24.



PAULUS lib. 1. Manualium, in *L. si quis alieni.* 48. *D. de acquir. vel omitt. heredit.*


SI quis alieni mandaverit, ut, si aestimaverit, peteret sibi bonorum possessionem; & postquam ille petiit, furere coeperit, nihilominus acquisita est ei bonorum possessio. Quod si antequam ille petat, is, qui mandavit petendum, furere coeperit; dicendum non est, statim ei acquisitam bonorum possessionem. Igitur bonorum possessionis petitio ratihabitione debet confirmari.

CAPUT IX.

Differentia bonorum possessionis, quae ex mandato petitur, ante, vel post furorem mandantis supervenientem.

CUm Paulus dixisset in *L. ult. D. commun. praedior.* quae sup. exposita est: *Nec enim sicut viventium, ita & defunctorum actus suspendi receptum est.* Subjecisse videtur, quod est in hac *L.* 48. & in *L. ususfructus.* 26. inf. *de stipulat. servor.* quae jungendae sunt simul, ex eodem *lib. 1. Manualium Pauli.* In d. *L. ult.* suspensa erat acquisitio servitutis, donec novissima cessione confirmaretur: in d. *L.* 26. *D. de stipul. serv.* suspen-

ſuſpenſum legatum uſusfructûs relicti ſervo hereditario: in hac *L.* 48. ſuſpenſa acquiſitio bonorum poſſeſſionis, donec ratihabitione confirmetur. Finge, Titius heres inſtitutus mandavit Maevio, ut ſibi bonorum poſſeſſionem peteret, ſi ita videretur, ſi id putaret expedire. Maevius petiit bonorum poſſeſſionem nomine Titii, & poſtea Titius furere coepit. Paulus ait, nihilominus Titio acquiſitam eſſe bonorum poſſeſſionem: quia mandatum petendae bonorum poſſeſſionis ante furorem praeceſſerat; & mandatum quoque impletum fuit, antequam furor Titio ſuperveniret. Sed finge, Titius mandaverat Maevio, ut bonorum poſſeſſionem peteret; & Titius furere coepit, antequam Maevius peteret. Paulus ait, non ſtatim eſſe acquiſitam bonorum poſſeſſionem Titio; ſed eſſe in ſuſpenſo, donec ratihabitione Titii ad ſanitatem redeuntis confirmetur: vel mediis furoris intervallis. *L. Divus.* 34. *D. de offic. Praeſid. L. cum furioſus.* 39. *D. de judic. L. ſi cum dotem.* 22. §. *ſi maritus. D. ſolut. matrim.* Ratio, cur non ſtatim acquiratur, haec eſt, quod cum Titius ante petitionem bonorum poſſeſſionis furere coeperit, res adhuc fuit integra, & mandatum ab eo ſanitate redeunte revocari potuit, ut etiam ratihabitione confirmari: & ideo in ſuſpenſo eſt bonorum poſſeſſio, donec Titius ratam habeat petitionem ſanus factus. Sed quid, ſi Titius in furore deceſſerit, nec ratam habuerit? Heredes quidem Titii ratam habere non poſſunt. *L.* 7. *D. rat. rem hab.* ſed intelligitur Titius furioſus ratam habuiſſe, cum non improbaverit. Nam ſi mandatô non praecedente ratam habuiſſe intelligitur, *L. ult. D. de bonor. poſſeſſ.* multò magis, ubi mandatum praeceſſerit; quaſi in mandato petendae bonorum poſſeſſionis Titius poſt furorem perſeveraverit, quod utique revocare non potuit. *L. in bello.* 12. §. 3. *D. de capt. & poſtl. reverſ.* Atque ita ſuſpenditur in hac *L.* 48. petitio bonorum poſſeſſionis, quam Maevius nomine Titii fecerit, poſt furorem Titii; donec Titius aut ratam habuerit, aut mors Titii ſecuta fuerit. Et Titio acquiſita fuiſſe intelligitur bonorum poſſeſſio, non ex tempore petitionis; ſed ex tempore mortis, quaſi ex tempore ratihabitionis. *L. ſervo.* 65. *D. ad SCtum Trebell. L.* 3. §. *acquirere. D. de bonor. poſſeſſ. L. ult. D. quis ord. in poſſeſſ. ſervet. L. penult. D. rat. rem haber.*



PAULUS lib. 1. Manualium, in *L. ult. D. de mort. cauſ. donationib.*

SI ſervo mortis causâ donatum ſit; videamus, cujus mors inſpici debeat, (ut ſit locus condictioni) domini, an ipſius ſervi. Sed magis ejus inſpicienda eſt, cui donatum eſſet: ſed tamen poſt mortem, ante apertas tabulas teſtamenti, manumiſſum haec donatio non ſequitur.

CA-

CAPUT X.

Differentia deprehenditur inter donationem mortis causâ factam servo, & legatum servo relictum.

Titius servo Maevii centum causâ mortis donavit. Ea donatio mortis causâ facta, seu contemplatione mortalitatis, morte donatoris confirmatur. *L. non videtur.* 32. sup. *hoc tit.* & pariter morte donatarii revocatur, si is, cui donatum est, ante donatorem morte praeventus fuerit. *L. si mortis.* 29. sup. *eod.* Sed quaeritur, cum Titius centum servo Maevii mortis causâ donaverit; cujus mortem spectari oporteat, domini, an servi, ut donatio morte domini, vel servi revocetur. Fictione juris servus, quamdiu est in potestate domini, una cum servo persona esse intelligitur. Theophilus in §. *an servo. Instit. de legat.* Eadem est vox domini, & servi. §. *si quis alii. Institut. de inutilib. stipulation.* Sed in morte naturam respicimus, aliaque est mors domini, alia mors servi: nec cùm dominus mortuus est, servus etiam mortuus esse intelligitur. Inde igitur dubitatum fuit, an mors domini, vel servi spectanda esset, ut donatio revocaretur, & locus esset conditioni rei donatae. Paulus ait, mortem ejus respiciendam esse, cui donatum sit: puta si donatum sit domino, ut morte domini revocetur: si servo, ut morte servi revocetur; post Africanum in *L. si filiifamilias.* 23. sup. *hoc tit. D. de mort. caus. donationib.* Plerunque ita fiunt donationes, non eorum, quibus donatum est, sed aliorum contemplatione. Patri donatur, ut sit filiifamilias: & filio contra donatur, contemplatione patris. Donatur uxori, ut marito acquiratur, & contra. *L. 5. §. si quis certam. D. de jur. dot. L. 3. §. ult. D. de donationib. inter vir. & uxor. Mens igitur dantis spectanda est*, inquit Lucius Seneca *lib. 5. de benefic. cap. 9.* Si igitur donator eâ mente fuerit, ut magis domino, quàm servo donare vellet; morte domini, non servi, donatio revocabitur. Mens autem donantis pluribus argumentis, & conjecturis deprehendi potest: puta, si ministerium personae elegerit, non ut ei donatum vellet. d. *L. 23. hoc tit. L. Sulpicius.* 49. *D. de donat. int. vir. & uxor.* & si quis servo ita donaverit, ut cum domino moraretur. *L. filiofamilias.* 42. *D. de condit. & demonstrat.* Sed finge praeterea, servus, cui Titius centum mortis causâ donaverat, post mortem Titii donatoris, ante apertas tabulas testamenti, à domino manumissus fuit. Paulus ait, centum acquiri domino, non servo. Licèt enim servus post manumissionem à domini persona separètur, & propriam personam habere incipiat, *L. si Pamphilo.* 10. *D. de opt. vel elect. legat.* tamen donatio statim post mortem Titii donatoris perfecta fuisse intelligitur. d. *L. 32.* sup. *hoc tit.* quo tempore servus erat in potestate Maevii, & ita ei acquirere debuit. *L. placet.* 79. *D. de acquir. vel omitt. heredit.* Secus est, si legatum servo relictum fuerit, & post mortem testatoris, ante apertas tabulas, servus manumissus fuerit, legatum servo acquiritur, non domi-

no: quia cum dies legati ab apertis tabulis cesserit, *L. unic. §. cum igitur. C. de caduc. tollend.* servo manumisso, non domino acquiri debuit. Quam differentiam inter donationem mortis causa servo factam, & legatum servo relictum, Paulus hic attingere voluit.



PAULUS lib. 1. Manualium, in *L. ususfructus. 26. D. de stipulat. servor.*


Ususfructus sine persona esse non potest: & ideo servus hereditarius inutiliter usumfructum stipulatur. Legari autem ei posse usumfructum dicitur, quia dies non cedit statim: stipulatio autem pura suspendi non potest. Quid ergo, si sub conditione stipuletur? nec hoc casu valeat stipulatio: quia ex praesenti vires accipit stipulatio, quamvis petitio ex eâ suspensa sit.

CAPUT XI.

Differentia inter stipulationem ususfructûs, quem servus hereditarius stipulatur, & legatum ususfructûs servo hereditario relictum.

Manifesta est differentia, quam hîc Paulus afferre voluit inter stipulationem ususfructûs, quam servus hereditarius fecerit, & legatum ususfructûs servo hereditario relictum. Finge, Titius Maevium heredem instituit: Stichus servus hereditarius, nondum aditâ hereditate Titii, usumfructum à Sempronio stipulatus est. Quaeritur, an ususfructus hereditati, heredive futuro acquiratur. Servus quidem hereditarius, ut domino potuit acquirere, ita & hereditati, quae defuncti personam sustinet. *L. quia. 16. D. de noxalib. act. L. hereditas. 34. D. de acquir. rer. domin. L. 9. C. deposit.* Paulus tamen ait, servum hereditarium inutiliter usumfructum à Sempronio stipulatum fuisse: quia ususfructus sine persona esse non potest. Ususfructus est jus personae inhaerens, quod cum persona extinguitur. *L. 3. §. ult. D. quib. mod. ususfruct. vel us. amitt. L. non solùm. 8. §. tale. D. de liberat. legat. L. Sempronius. 26. D. de usu, usufruct. & redit. legat.* nec à persona in personam transit. *L. si ususfructus. 66. D. de jur. dot.* nec sine persona stare potest. *L. hereditas. 61. D. de acquir. rer. domin.* At cùm servus hereditarius stipulatur usumfructum, non est persona, ex qua stare possit: non ex persona defuncti, qui in rebus humanis esse desiit: non ex persona Maevii heredis instituti, qui nondum hereditatem adiit: non ex persona servi, qui est ἀπρόσωπος, ut Theophilus uspiam. Nec interesse Paulus existimat, an servus hereditarius purè, vel sub conditione usumfructum stipulatus fuerit; ut diffe-

differatur effectus stipulationis in diem aditae hereditatis, vel in eventum conditionis existentis. Nam cùm servus purè stipulatur, stipulationis purae effectus suspendi non potest. *L. inter*. 83. §. *sacram*. *D. de verbor. obligat.* *L. si servus*. 21. sup. *hoc tit.* Et cùm sub conditione stipulatur, petitio quidem ex ea suspenditur, ut ante conditionis eventum peti non possit: sed stipulatio ex praesenti vires accipit; id est, ex eo tempore, quo contrahitur; non ex tempore conditionis existentis. *L. filiusfamilias*. 78. *D. de verbor. obligat.* *L. quae legata*. 19. *D. de regul. jur.* Licèt autem servus hereditarius inutiliter usumfructum stipuletur, ususfructus tamen servo hereditario utiliter legari potest. Finge, Titius Maevium heredem instituit, & legavit Sticho servo suo usumfructum: utile est legatum ususfructûs servo relicti. *L. si servo*. 18. *D. quib. mod. ususfruct. vel us. amitt.* Quam differentiam inter stipulationem, & legatum, Paulus hîc affert: & rationem quoque differentiae, quòd cum interponitur à servo hereditario ususfructûs stipulatio sive pura, sive conditionalis, non est persona, ex qua stare possit ususfructus; nec tunc hereditas personae vicem sustinet. d. *L.* 61. *D. de acquiren. rer. domin.* At cùm legatus est ususfructus servo hereditario, ususfructûs legati dies cedit ab adità hereditate. *L. unic.* §. *dies*. *D. quand. dies legat. ususfruct. ced.* *L.* 5. §. *ultim. D. quand. dies legat. ced.* Cum igitur Maevius hereditatem adiverit, ususfructus ex persona Maevii heredis jam subsistit, eique per servum acquiritur. Ceterùm jungenda est haec *Lex* 26. cum *L. ult.* sup. *commun. praedior.* Nec ideo pugnant, ut quibusdam visum est: quia actus viventis, puta stipulatio, hîc non suspenditur; legatum, seu actus defuncti suspenditur: contra quàm Paulus dixerit, actus defunctorum non suspendi, ut actus viventium suspenduntur. Et quidem non negat Paulus in d. *L. ult.* actus defunctorum suspendi, quo actus viventium suspenduntur: ut ostendimus *lib.* 5. *observat. cap.* 15. ubi & interpretationem hujus loci attigimus.



PAULUS lib. 1. Manualium, in *L. magna*. 226. *D. de verb. significat.*

M*Agna negligentia, culpa est: magna culpa, dolus est.*

CAPUT XII.

Differentia inter negligentiam simplicem, seu levem culpam; & inter magnam negligentiam, seu magnam culpam.

HAec est, opinor, Pauli sententia: magnam negligentiam esse magnam culpam; & magnam culpam esse dolum. Ubi differentiam atti-

attigit, quae est inter negligentiam simplicem, & magnam negligentiam, seu magnam culpam. Culpae & negligentiae nomine, levem culpam intelligimus. *L.* 5. *D. de in litem jurand. L. in magistratibus.* 7. *D. de magistrat. conveniend. L. contractus.* 23. *D. de regul. jur.* Levis culpae definitio est, non facere, quod diligens paterfamilias faceret. *L. ea igitur.* 14. *D. de pign. act. L. quod saepe.* 35. §. *si res. D. de contrahend. empt.* Exempla levis culpae proferri possunt, veluti si quis ventosô die ignem in stipulam immiserit, & ignis longiùs evagatus vicinas segetes, arboresque laeserit. *L. qui occidit.* 30. §. 1. *D. ad leg. Aquil.* vel si fullo, aut sarcinator, qui polienda, aut sarcienda vestimenta conduxerit, ea malè interpolaverit. *L. si quis.* 9. §. *Celsus. D. locat.* vel si aurifex gemmas insculpendas, includendasve sumpserit, easque fregerit. *L. si servus.* 27. §. *si calicem. D. ad leg. Aquil. L. si merces.* 25. §. *qui columnam. D. locat.* vel si quis, quod sibi commodatum erat, peregrè secum ferre maluerit; & incursu praedonum, aut naufragiô illud amiserit. §. *Item is, cui. Instit. quib. mod. re contrah. obligat.* & haec est levis negligentia. Alia est magna negligentia, ut hîc dicitur; lata negligentia. *L.* 7. §. 2. *D. de administr. & pericul. tut. L.* 7. §. 1. *D. de suspect. tutor.* dissoluta negligentia. *L. si fidejussor.* 28. *D. mandat.* nimia negligentia. *L. cedere.* 213. *D. de verbor. significat.* manifesta negligentia. *L.* 2. *C. arbitr. tutel.* eademque lata culpa. Magnae negligentiae, seu latae culpae definitio est, non esse diligentem ad eum modum, quem natura hominum desiderat. *L. quod Nerva.* 32. *D. deposit.* non intelligere, quod omnes intelligunt; nescire, quod omnes sciunt. d. *L. cedere.* 213. & *L. latae.* 223. sup. *hoc tit.* ignorare, quod publicè proscriptum est. *L. sed si.* 11. §. 3. *D. de instit. act.* vel si quis non eandem rebus alienis adhibeat diligentiam, qualem rebus suis adhibere solet. d. *L.* 32. *D. deposit. L. mulier.* 22. *D. ad SCtum Trebellian.* ea magna negligentia, seu magna culpa; lata negligentia, seu lata culpa, in hac *L.* 226. dolus esse dicitur, & d. *L.* 32. *D. deposit.* dolo esse proxima. *L.* 8. *D. de edend. d. L.* 223. sup. *hoc tit. L. quaesitum est.* 8. §. 3. *D. de precar.* dolo comparatur, *L.* 1. §. 1. *D. si mensor fals. mod. dixer.* In contractibus, qui fiunt gratiâ utriusque, puta dantis, & accipientis, levis culpa praestari debet. *L.* 5. §. 2. *D. commodat. L. si servus.* 108. §. *cum quid. D. de legat.* 1. Eamque regulam custodiri ait Modestinus *lib.* 2. *Differentiar. in collat. leg. Mosaic. tit.* 10. in contractibus, in quibus utriusque utilitas vertitur: ut emptione, locatione, pignore, dotis datione. In quibusdam contractibus etiam levissima culpa praestari debet, ut in mandato; nam procurator omnem culpam praestat, id est, levem, & levissimam. *L. à procuratore.* 13. *D. mandat.* Negotiorum quoque gestor, seu voluntarius procurator, omnem culpam praestat. Paulus *lib.* 1. *sentent. tit.* 4. *L. tutori.* 20. *C. de negot. gest.* Tutor tantùm tenetur de levi culpa, non de levissima: nam sufficit tutorem rebus pupillaribus talem diligentiam adhibere, qualem bonus paterfamilias adhibere solet. *L. à tutoribus.* 33. *D. de administrat. & pericul. tutor.* Ratio differentiae inter tutorem, & procuratorem haec est, quòd procurator cum mandato, aut negotiorum gestor absque mandato, sponte suscipit negotia gerenda;

ac

at tutor saepe cogitur munus tutelae suscipere. Quòd si sponte se obtulerit, ut tutelam gereret, omnem culpam praestare debet. *L. qui injuriae.* 53. §. 3. *D. de furt.* In quibusdam contractibus tantùm lata culpa, seu magna negligentia praestatur, ut in deposito. *L.* 1. §. *si convenit.* & *d. L.* 32. *D. depos. L. contractus.* 23. *D. de regul. jur.* & propterea Paulus negligentiam levem à negligentia magna distinxerat: quia levis negligentia in quibusdam contractibus praestatur; in aliis magna negligentia, quae dolo comparatur: in contractibus, non tamen in legibus, quae factum, seu dolum exigunt, ut in lege Cornelia de sicariis. *L.* 7. *D. ad leg. Cornel. de sicar.* atque in *leg.* 12. *Tabul.* quae dolum tutoris suspecti vindicavit infamiâ, si ob dolum remotus esset, non etiam si ob culpam vel latiorem. §. *suspectus. Instit. de suspect. tutorib.* Bona fides, quae in contractibus exigitur, facit, ut magna culpa ad dolum extendatur: at in legibus strictior sit doli interpretatio, neque ad magnam culpam extenditur. *L.* 3. *D. de ser. corrupt. L. cum autem.* 23. §. *excipitur. D. de aedil. edict. L. pen. D. de poen.* Harmenopulus *lib.* 6. *Manual. tit.* 6. in princ.



PAULUS lib. 2. Manualium, in *L. si socius.* 89. *D. de heredib. instituend.*

*SI socius heres institutus sit ex asse, & servo communi legetur * purè sine libertate; hoc legatum non consistit. Planè sub * conditione ei utiliter, & sine libertate legabitur; quoniam & proprio servo ab herede rectè sub conditione legatur. Quare etiam * heres institui sine libertate, ut alienus, sociò herede scriptò poterit: quia & proprius cum domino heres institui poterit.*

CAPUT XIII.

Differentia inter legatum purum, quod servo communi inutiliter sine libertate relinquitur, socio herede instituto; & legatum conditionale, quod utiliter ei relinquitur: inter legatum, & heredis institutionem.

TItius, & Maevius habebant Stichum servum communem. Titius Maevium socium heredem instituit solum, nullô datô coherede; & lega-

legavit centum Sticho communi servo absque libertate. Paulus ait, hoc legatum non constare, seu inutiliter relictum esse. Servus quidem communis consideratur ut proprius, & ut alienus. *L. illud.* 46. *D. de ritu nuptiar. L. ult. C. de comm. serv. manumiss.* Quatenus consideraretur ut proprius, unus ex dominis communi servo legatum inutiliter absque libertate relinqueret. *L. servus.* 76. *D. de heredib. instituend. L. servo.* 15. *D. de opt. vel elect. legat. L.* 4. *C. de legat.* Sed quatenus consideratur ut alienus, & non solùm ad Titium, sed etiam ad Maevium pertinet. *L.* 5. *D. de stipulat. servor.* Titius Sticho servo communi, ut alumno, absque libertate legare potuit. *L. verum.* 63. §. *si servo. D. pro socio. L. Plautius.* 49. *D. ad leg. Falcid.* Paulus tamen ait, sic Titium Sticho servo communi centum legasse inutiliter, Maeviô sociô herede institutô. Et ratio est, quòd servo heredis inutiliter legatum absque libertate relinquitur. §. *an servo.* 33. *Instit. de legat.* Nec enim posset agere servus adversùs dominum. *L. vix ex certis.* 53. *D. de judic.* Sed finge, Titium, Maeviô sociô herede instituto, Sticho communi servo legasse centum sub conditione: Paulus ait, legatum esse utile, quia & Titius servo proprio Maevii heredis instituti rectè sub conditione legare potuit: igitur & servo communi ita legare potuit. Ideo autem valet legatum sub conditione relictum, quia fieri potest, ut tempore existentis conditionis servus non sit in Maevii potestate, & ita legatum ipsi servo, non domino acquiratur. *L. 7. D. ut legat. seu fideicommissor. servand. caus. caveat.* Legatum purè relictum servo est inutile, etsi postea desinat esse in potestate, propter regulam Catonianam. Theophilus in d. §. *an servo.* 33. *Instit. de legat.* At regula Catoniana non pertinet ad ea legata, quorum dies non mortis tempore, sed post aditam cedit hereditatem. *L.* 3. *D. de reg. Caton.* Dies legati purè servo relicti cedit ab adita hereditate. *L. unic.* §. *in novissimo. C. de cad. tollend.* & dies legati conditionalis cedit ex tempore conditionis existentis. *L. is, cui.* 42. *D. de obligat. & actionib.* Sed finge adhuc, Titius unus ex dominis Maevium socium ex parte heredem instituit, & servum communem ex alia parte, non adjectâ libertate. Paulus ait, rectè servum cum domino fuisse heredem institutum; quia servus communis ut alienus heres institui potest, veluti & servo communi, ut alieno: legari potest. d. *L.* 63. §. *si servo.* 7. *D. pro socio.* Et qua ratione servus cum domino heres institui potest, ut partem hereditatis dominus per se capiat, & partem per servum: eâdem ratione servus communis, ut alienus, cum domino rectè heres instituitur, ut dominus per eum partem hereditatis capiat. Hîc igitur duas differentias possumus observare: unam, quae est inter legatum purè relictum servo communi absque libertate, & legatum sub conditione ei relictum; alteram inter legatum, & heredis institutionem.

PAU-

PAULUS lib. 2. Manualium, in *L. filio. 7. D. ut legator. seu fideicommissor. servand. caus. caveat.*

Filio, vel servo sub conditione à patre, dominôve herede instituto legatum est. hujus legati satis petere non possunt: sed pendente conditione emancipatus, vel manumissus si satis petant, quaeritur, an audiendi sint, ne beneficium patris, dominive ipsis onerosum sit? an sibi imputare debeant, qui dederunt eis postulandi adversùs se facultatem? Sed melius est, per mediocritatem causam dirimere, ut cautioni tantùm cum hypotheca suarum rerum committantur.

CAPUT XIV.

Differentia inter cautionem vulgarem, & cautionem patris, vel domini heredis instituti, qui caveat filio, vel servo, legati causâ sub conditione relicti.

TEstator Titium patrem heredem instituit, & ab eo centum legavit sub conditione Maevio filio, qui erat in potestate: vel Titium dominum heredem instituit, & ab eo centum legavit sub conditione Sticho servo, qui erat in Titii potestate. Istud legatum valere supra ostendimus in *L. si socius.* 89. *D. de heredibus instituend.* quae jungenda est cum hac *L.* 7. quia fieri potest, ut post emancipationem filii, vel manumissionem servi, conditio existat; & legatum filio, servove acquiratur, Finge igitur, filium emancipatum fuisse, servumve manumissum, ante conditionis eventum. Quaerit Paulus, an filius à patre, vel servus, à domino satis petere possint; id est, cautionem exigere, quae vulgò exigitur legatorum, vel fideicommissorum nomine sub conditione relictorum: unde & vulgaris cautio dicitur. *L. filiusfamilias.* 114. §. *iidem principes. D. de legat.* 1. Non exigitur haec satisdatio, quando legatum purum est, quia statim praestari debet: sed quia legatô sub conditione relictô periculum est, ne heres labatur facultatibus, cavere debet heres datis fidejussoribus, se legata his diebus praestiturum, daturum, quibus testator dari voluit; dolumque malum absuturum esse. Semper autem satisdare cogitur, cujuscunque sit dignitatis, vel facultatum quarumcunque heres. *L.* 1. in princ. sup. *hoc tit.* At si filius, servusve à patre, dominôve cautionem istam exigeret; damnosum esset patri, dominove beneficium emancipationis, vel manumissionis. Si enim pater filium, dominusve servum in potestate retinuis-

ſet ; nec filius cum patre, nec ſervus cum domino agere potuiſſet. *L.* 4. *D. de judic.* & ita iniquum videatur, ut ipſis beneficium damnoſum ſit. *L.* 7. *D. teſtament. quemad. aperiant*. Verùm quia cautio iſta ſemper exigitur, d. *L.* 1. ſup. *hoc tit.* ſibi imputare debent pater, vel dominus, qui cautionis adverſus ſe poſtulandae facultatem conceſſerunt. Paulus tamen ait, melius eſſe, per mediocritatem cauſam dirimere, ut quidem pater, dominusve caveant non datis fidejuſſoribus, ſed cum rerum ſuarum hypotheca. Haec cautio, quae praetoria eſt, & ſolet à ceteris exigi datis fidejuſſoribus, *L.* 7. *D. de ſtipulat. praetor.* à patre, dominôve exigetur datis pignoribus. Contumelia quaedam eſt ſatiſdationis. *L. teſtamento.* 17. *D. de teſtament. tutel.* ſed levius eſt, cavere datis pignoribus. *L. penult.* §. *idem quaeſiit. D. de pignorib. & hypothec.* Hic igitur Paulus eam differentiam afferre voluit, quòd licèt heres ſemper cavere cogatur datis fidejuſſoribus, legatorum, vel fideicommiſſorum ſervandorum causâ, quae in diem, vel ſub conditione relicta ſunt: d. L. 1. in princip. ſup. *hoc tit.* aliter tamen pater filio emancipato, & dominus ſervo manumiſſo cavere debeat.



PAULUS lib. 2. Manual. in *L. ult. D. de oper. libertor.*

INterdum * *operarum manet petitio, etiamſi jus patroni non ſit: ut evenit in fratribus ejus, cui adſignatus eſt libertus; aut nepote alterius patroni, extante alterius patroni filiô.*

CAPUT XV.

Differentia inter jus patronatûs, & operarum praeſtationem: inter officiales, & artificiales operas.

TItius ſervum manumiſit, & manumiſſione jus patronatûs quaeſiit; & praeterea in ipſa manumiſſione, vel ſtatim poſt manumiſſionem, Titius à liberto operas ſtipulatus eſt, id eſt, diurnum officium: puta, ut libertus per aliquot dies operas patrono exhiberet. Quaedam operae conſiſtunt in officio, quaedam in artificio. Officiales operae ſunt, ut libertus patroni negotia curet, patronum comitetur. Artificiales ſunt, veluti fabriles, pictoriae, piſtoriae, hiſtrionicae, & aliae, quae in artificio conſiſtunt, & quaſi in pecuniae praeſtatione. *L.* 6. ſup. *hoc tit.* Officiales debentur naturâ patrono. *L. ſi non ſortem.* 26. §. *libertus. D. de condict. indeb.* Id eſt, naturali jure debentur, etiamſi promiſſae non fuerint, ob libertatis

tatis beneficium, quod libertus à patrono accipit. Artificiales verò tantùm ex promissione debentur, puta, si patronus in danda libertate operas à liberto stipulatus fuerit, vel de iis jusjurandum exegerit. *L.* 7. *sup. hoc tit. L.* 2. *C. eod.* Cum ita Titius à liberto operas stipulatus esset, postea uni ex liberis libertum assignavit: cum plures haberet liberos, puta, Primum, Secundum, & Tertium, testatus est Titius pater se velle, ut Primus ex liberis jus patronatûs haberet in liberto. Quod quidem jus patronatûs in multis consistit, & ut habeat patronus jus in bonis liberti, tam ex testamento, quàm ab intestato. Ulpianus *lib. sing. Reg. tit.* 29. *L.* 1. *§. penult. D. si cui plus quàm per leg. Falcid. L. si libertus.* 16. *D. de jur. patronat.* §. 2. *Instit. de success. libertor.* Titiô mortuô, tres liberi patri heredes extiterunt: dubitari potest, an Secundus, & Tertius pro parte sua operas à liberto possint exigere. Movet, quòd pater eum Primo assignavit, & per assignationem jus patroni in Primum transtulit. *L. filio.* 48. *D. de rit. nuptiar. L.* 1. *§.* 3. *D. de assignat. libertor. L. assignare.* 107. *D. de verb. significat.* & ita videretur, Primum posse solum operas exigere. Paulus tamen ait, etiam à fratribus posse exigi. Ratio est, quòd operae alii, quàm patrono, edi possunt; & nihil habent operae commune cum hereditate, aut successione liberti. *L.* 4. *&* 9. *sup. hoc tit.* Primus quidem habet per assignationem sibi factam jus patronatûs, seu jus in bonis liberti, ex testamento, & ab intestato: sed ceteri liberi heredes patris habent pro parte sua operarum exactionem, veluti fratres ejus, cui libertus assignatus est. Eamque differentiam Paulus hîc afferre voluit inter jus patronatûs, & operarum praestationem: quòd ei deberi possint operae, qui non sit patronus, & qui non habeat jus patronatûs. Idque de operis artificialibus intelligendum, non de officialibus, quae soli patrono deberi possunt. d. *L.* 9. *sup. hoc tit.* Ceterùm & hîc Paulus aliam similem speciem attigit. Finge, Titius, & Maevius servum communem manumiserant, & operas ab eo manumisso stipulati fuerant. Titius decessit relictô filiô: Maevius quoque decessit relictô nepote. Legitima hereditas liberti ad solum filium Titii, exclusô nepote Maevii, pertinebit. *L.* 3. *§. si duo. D. de legitim. tutorib.* & nihilominus Maevii nepos, ejusdemque heres, pro parte suâ habebit operarum exactionem, ut pecuniae creditae: quia nihil habet commune cum hereditate, aut successione liberti, seu jure patronatûs. *L.* 4. *sup. hoc tit.*

PAULUS lib. 2. Manual. in *L. quaedam.* 62. *D. de acquir. rer. dom.*

***Q**uaedam, quae non possunt sola alienari, per universitatem transeunt, ut fundus dotalis, ad heredem, & res, cujus aliquis commercium non habet. Nam etsi legari ei non possit, tamen heres institutus, dominus ejus efficitur.*

CAPUT XVI.

Differentia rerum, quae solae alienari non possunt, & per universitatem alienantur.

TItius fundum in dotem accepit : eum quidem alienare non potest; prohibente lege Juliâ. §. 1. *Instit. quib. alien. lic. vel non. L.* 4. *D. de fund. dot. L. cum pater.* 77. §. *qui dotale. D. de legat.* 2. *L. unic.* §. *& cum lex. C. de rei uxor. act.* Sed tamen , si Titius Maevium heredem instituerit , fundus dotalis transibit ad Maevium ; non ut eum alienare possit, sed ut idem jus habeat in fundo, quod Titius habebat ; eumque ob impensas, aliasve causas retinere possit, puta, ob res donatas, vel amotas. *L. rei judicatae.* 15. *D. solut. matrim.* Finge praeterea, Titius Maevium heredem instituit : in hereditate Titii erant res sacrae , religiosae, aediculae, signa; & simulacra Deorum , sepulchra, ossuaria. Hae quidem res commerciô hominum exemptae sunt, nec vendi possunt. *L.* 6. *D. de contrab. empt. L.* 1. §. 1. *D. quae res pignor. vel hypothec.* nec legari possunt. *L. cum servus.* 39. §. *penult. D. de legat.* 1. Paulus tamen ait, eas cum universitate, seu cum ceteris rebus hereditariis, transire in heredem , qui succedit in jus universum , quod defunctus habuit. *L. cum heres.* 11. *D. de divers. & tempor. praescript.* Eaque differentia manifesta est, quam Paulus hîc afferre voluit inter eas res, quae solae vendi, alienarive non possunt , & tamen cum universitate in heredes transeunt . Nec solùm in heredes juris successores; sed etiam in rei successores, veluti in emptores, res hujusmodi transeunt, tanquam accessiones. *L. in modicis.* 24. *D. de contrab. empt.* Quo exemplo Juris Pontificii auctores admiserunt , jus patronatûs, quod est spirituale , & spirituali annexum, transire in emptorem universitatis. *C. cum Bertholdus.* 18. *de sent. & re judicat. Cap. cum seculum.* 13. *de jur. patronat.* apud Gregor. quod tamen solum vendi non potest. *Cap. de jure.* 16. *eod. tit.* Huic autem L. 62. videtur obstare *L. mortuo.* 49. §. *Labeo. D. de legat.* 2. ubi res legari ei potest, qui commercium rei non habeat . Et tamen hîc Paulus ait , eam rem legari non posse , cujus non est commercium . Distinguendum est , an non sit rei commercium, propter sui naturam; puta, quia res sacra, vel religiosa est: & ea quidem legari non potest. *L. cum servus.* 39. §. *penult. D. de legat.* 1. At si ratione personae commercium rei sit interdictum , ea legari potest; non ut legatarius rem habeat, sed rei aestimationem. *L. filiusfamilias.* 114. §. *si quid alicui. D. de legat.* 1. *L. fideicommissa.* 11. §. *si servo. & §. ex his. D. de legat.* 3.

PAU-

PAULUS lib. 2. Manualium, in *L. si existimans*. 48. *D. de usurpat. & usucap.*

SI existimans debere tibi tradam; ita demum usucapio sequitur, si & tu putes debitum esse. Aliud, si putem, me ex causa venditi teneri, & ideo tradam: Hic enim, nisi actio praecedat, pro emptore usucapio locum non habet. Diversitatis causa in illo est, quòd in caeteris causis solutionis tempus inspicitur. Neque interest, cùm stipulor, sciam alienum esse, necne: sufficit enim, me putare meum esse, cùm solvis. In emptione autem & contractûs tempus inspicitur, & quod solvitur: nec potest pro emptore usucapere, qui non emit; nec pro soluto, sicut in caeteris contractibus.

CAPUT XVII.

Differentia usucapionis, cùm res tradita est ex causa emptionis, vel ex alia causa.

MAnifestissima est differentia, quam hîc Paulus afferre voluit, cùm res tradita est ex causa emptionis, vel ex alia causa. Finge, Titius cum putaret se debere Stichum ex causa stipulationis, eum Maevio tradidit; & Maevius putans quoque Stichum sibi ex causa stipulationis esse debitum, ex ea causa accepit. Paulus ait, ex ea traditione usucapionem sequi, puta, usucapionem pro soluto. Titulus usucapionis pro soluto est, cùm res debita, vel alia res loco rei debitae, volente creditore solvitur: is, qui bonâ fide accipit, pro soluto usucapit. Si igitur Maevius bonâ fide rem solutam, vel traditam ex causa stipulationis acceperit, ei procedet usucapio pro soluto, licèt nulla stipulatio praecesserit: & ita re traditâ ex causa legati, usucapio sequetur, licèt legata non fuerit. Nec obstat, quod dicitur, errorem falsae causae usucapionem non parere. §. *error. Instit. de usucapionib. L. Celsus*. 27. sup. *hoc tit. L.* 1. *D. pro donat. L. nemo.* 6. *D. pro derelicto*: id enim intelligendum est, si traditio ex falsa causa secuta non fuerit, aut si error falsae causae non sit tolerabilis. *L.* 3. *&* 5. §. *ult. D. pro suo*. Verùm Paulus subjicit in hac *L.* 48. aliam rationem esse, si quis solverit, vel rem tradiderit, ex causa emptionis: ait enim, usucapionem pro emptore non procedere, *nisi actio praecesserit*, ut legitur in *Pandect. Florent.* Quam lectionem defendimus *lib. singulari Defensarum lectionum* ex Cujacio: id est, nisi actus, seu contractus emptionis praecesserit. Rationem diversitatis affert Paulus inter con-

contractum venditionis, & ceteras causas: quòd in ceteris causis non inspicitur tempus contractûs; sed tempus solutionis. At in venditione, tempus contractûs inspicitur, & tempus traditionis: utroque tempore bona fides emptoris exigitur, ut ei procedat usucapio: nec sufficit tempore contractûs bonam fidem habuisse, nisi & tempore traditionis habeat; aut tempore traditionis habere, nisi & tempore contractûs habuerit. *L.* 7. §. *ult. D. de Public. in rem act. L. si aliena.* 10. sup. *hoc tit.* Scientia rei alienae eo tempore, quo contrahitur emptio, emptorem in mala fide constituit; efficitque, ut ei non procedat usucapio. At in aliis causis, scientia rei alienae non impedit usucapionem; modò is, qui accepit, tempore traditionis bonam fidem habeat. Veluti, si quis stipuletur rem alienam sciens, nihilominus usucapiet, dummodo tempore solutionis rem promissoris esse putaverit: vel si quis rem alienam legatam esse sciverit, nihilominus usucapiet, dummodo tempore solutionis rem promissoris esse putaverit: vel si quis rem alienam legatam esse sciverit, nihilominus usucapiet, dummodo ex causa legati tradita fuerit. *L. si is.* 15. §. *ult.* & *L. justo.* 44. §. 2. sup. *hoc tit.* At valde obstare videtur huic *L.* 48. quòd procedit usucapio, si quis falsò rem emisse existimet, quam non emerit. *L. quod vulgò.* 11. *D. pro emptore.* Ideo verò procedit usucapio, quòd dominus mandaverit procuratori, ut rem emeret: procurator autem domino persuaserat, se rem emisse, quam non emerat, & ex causa emptionis domino tradiderat. Atque ita dominus justò errore ductus, eam rem usucapere potuit, quam emi mandaverat: siquidem in alieni facti ignorantia tolerabilis error est. *L. ult. D. pro suo.*



PAULUS lib. 2. Manualium, in *L. & exheredatum.* 49. *D. de re judicat.*

ET exheredatum, vel eum, qui se paternâ hereditate abstinuit, nec ex ipsius contractu, nisi id quod facere potest, condemnandum. Quemadmodum autem facere posse credatur, videndum est: utrùm deductô omni aere alienô, ut is, qui ex donatione convenitur; an ut maritus, & patronus, nullô deductô aere alienô. Et indubitati juris est, ad similitudinem viri, & patroni eum detrahendum: pinguiùs enim donatori succurrere debemus, quàm ei, qui verum debitum persolvere compellitur.

GA-

CAPUT XVIII.

Differentia inter filiumfamilias, maritum, patronum, & donatorem, cùm in quantum facere possunt, condemnantur.

Filiusfamilias, cùm esset in potestate patris, contraxit, negotiatus est, & ex his contractibus obligatus fuit. *L. tam ex contractibus.* 57. *D. de judic.* Postea pater filium emancipavit, vel testamento exheredavit, minimâve parte heredem instituit; vel filius heres institutus paternâ hereditate se abstinuit. Filiusfamilias quidem obligatus manet, licèt emancipatus fuerit. *L. eas.* 8. *D. de capit. minut.* aut emancipatus, abstentusve: sed inhumanum visum est, ut filiusfamilias emancipatus, vel exheredatus, vel abstentus, in solidum teneretur ex his obligationibus, quas contraxerit, dum esset in potestate patris. *L.* 2. *D. quod cum eo, qui in alien. potest. L.* 2. *C. eod.* sed non nisi in quantum facere posset. *L. si filiofamilias.* 53. *D. solut. matrimon.* Quaesitum verò fuit, quomodo filiusfamilias facere posse crederetur, an deductô aere alienô, vel non. Idque in disputationem venisse apud juris auctores deprehenditur in *L.* 3. *D. quod cum eo, qui in alien. potest.* & d. *L.* 53. *D. solut. matrimon.* quae sunt ex libris disputationum Ulpiani, & Tryphonini. Paulus hîc ait, filiumfamilias ad similitudinem viri, & patroni esse detrahendum: id est, in computatione ejus, quod filiusfamilias facere possit, detractionem eo modo fieri debere, ut cum maritus ab uxore, vel patronus à liberto convenitur. Et quidem maritus non tenetur, nisi in quantum facere potest, propter reverentiam, quae maritis exhibenda est. Adeo ut pacisci non possit mulier, ut maritus in solidum teneatur. *L. alia.* 14. in fin. *D. solut. matrimon.* Patronus similiter à liberto convenitur in quantum facere potest. *L. patronus.* 17. sup. *hoc tit.* propter eam reverentiam, quam libertus patrono semper exhibere debet. *L.* 4. §. *adversus. D. de dol. mal. & met. except.* Socius quoque omnium bonorum non tenetur, nisi in quantum facere potest; quia societas jus quoddam fraternitatis in se habeat. *L. verum.* 63. *D. pro socio.* & debitor, qui bonis cessit, si postea ad pinguiorem fortunam revertatur, eo modo tenetur. §. *ult. Instit. de actionib.* Verùm in istis personis, puta mariti, patroni, socii, debitoris, non deducitur aes alienum. Atque ita Paulus existimat, in filiofamilias deduci non oportere; aliamque rationem esse donatoris, in cujus personae omne aes alienum deducitur. d. *L. si filiofamilias.* 53. *D. solut. matrimon.* quia nullo jure cogente ex donationis causa se obligavit. *L. unum.* 67. §. 1. *D. de legat.* 2. Nec ita acerbè agendum sit cum his, qui ex liberalitate sua conveniuntur. *L. liberalitatis.* 16. *D. de usur.* Eam igitur differentiam Paulus hîc afferre voluit, quae est inter filiumfamilias, & donatorem. Uterque tenetur, condemnaturve, inquantum facere potest;

sed

sed donator deductô omni aere alienô ; filiusfamilias nullô deductô aere alienô facere posse intelligitur. Eamque differentiam attigerat Modestinus *lib.* 2. *Differentiarum*, in *L. non tantùm*. 20. sup. *hoc tit.* quam & Paulus *lib.* 2. *Manual.* Tempus autem, quo filiusfamilias facere possit, spectatur rei judicandae tempore. d. *L.* 53. *D. solut. matrimon.* Idemque tempus spectatur in marito. *L. rei judicatae* 15. *D. eod.* & in socio. d. *L.* 63. §. *tempus. D. pro socio*. Neque aliud tempus in donatore spectandum existimo; licèt alio modo in persona illius, quàm in aliis, fiat condemnatio.



PAULUS lib. 2. Manual. in *L. si quis*. 51. *D. de re judicat.*

SI quis dolô fecerit, ut bona ejus venirent, in solidum tenetur. Si quis creditorem missum in possessionem rei servandae causâ non admiserit; si venditor praestiterit creditori, quanti ejus interfuerit: quaesitum est, an debitor liberetur? & puto, improbum esse eum, qui velit iterum consequi, quod accepit.

CAPUT XIX.

Differentia deprehenditur inter debitorem, & alium à debitore; qui non admisit creditorem missum in possessionem, rei servandae causâ.

CUm Paulus superiorem differentiam attulisset inter donatorem, & filiumfamilias, & patronum, & debitorem, qui bonis cessit; subjecerat, quod est in hac *L.* 51. ex eod. *lib.* 2. *Manualium*, debitorem, qui bonis cessit, non semper condemnari in quantum facere potest; sed quandoque in solidum, si dolô fecerit, ut bona sua venirent. Finge, Titius habebat plures creditores, Primum, Secundum, Tertium. Primus convenit Titium debitorem: Titius Primo bonis cessit, ut fraudaret alios creditores, Secundum, & Tertium. Habet hoc privilegium debitor ex lege Julia, ut bonis cedere possit; & ita existimationi illius parcatur, si creditorum nomine, non debitoris, bona distrahantur. Proscriptione bonorum debitoris, quodammodô illius honor sugillabatur. At cùm creditores bona sibi cessa distrahebant, §. 2. *Instit. quib. ex caus. manumitt. non lic.* pudori, existimationive debitoris parcebatur. *L. paterfamilias*. 28. *D. de reb. auctorit. judic. possidend.* Cum igitur Titius bonis cessisset Primo uni ex creditoribus, Primus bona Titii distraxerat; nec satisfactum erat

Se-

Secundo, & Tertio aliis Titii creditoribus. Auctis deinde facultatibus Titii, Secundus, & Tertius eum conveniebant. Ait Paulus, in solidum teneri, non in quantum facere potest: quia dolo fecit, ut bona sua venirent; & Primo bonis cesserit, ut fraudaret alios creditores; & ideo facere posse videtur, quia dolô fecit, quominus possit. *L. verùm. 63. §. tempus. D. pro socio*. Aliàs verò debitor, qui bonis cessit, ad pinguiorem fortunam reversus, condemnaretur in quantum facere posset. §. *ult. Instit. de actionib. L. 3. de cession. bonor.* Post istam exceptionem, Paulus in §. 1. differentiam affert inter debitorem, & alium à debitore, qui non admisit creditorem missum in possessionem rei servandae causâ. Finge, Titius centum debebat Maevio: Maevius eum convenit: Titius conventus fraudationis causâ latitavit, vel absens defensus non est; Maevius postulavit, ut mitteretur in possessionem bonorum Titii. (Ita enim creditor mittitur in possessionem bonorum debitoris latitantis, vel non defensi; ut hoc taediô affectus debitor, cogatur satisfacere creditori: eorumque bonorum creditor habet custodiam. *L. 3. §. ult. D. de acquir. vel amitt. possess.* inque ipsis pignus constituitur. *L. cum unus. 12. D. de reb. auctorit. judic. possid. L. misso. 7. D. pro emptor.*) Cum igitur Maevius missus esset in possessionem bonorum Titii, Titius eum admittere noluit; Maevius egit adversùs Titium actione in factum, quae datur adversùs eum, qui creditorem missum in possessionem admittere noluit. *L. 4. D. de damn. infect. L. 1. §. 2. D. ne vis fiat ei, qui in poss. miss. er.* fitque condemnatio quanti interest creditoris, non fuisse admissum in possessionem bonorum debitoris. Maevius igitur cum Titium istâ actione in factum convenisset, consecutus erat à Titio, quod sua intererat. Sed praeterea volebat centum debita consequi, quasi actione in factum poenam, non debitum consecutus esset: aliudque sit poenam, atque aliud debitum solvere. *L. 3. §. condemnatio. D. de tabul. exhibend.* Paulus tamen ait, Titium, qui Maevio solverit, quod sua intererat, debitô liberari. Sed finge, alium à debitore Titio non admisisse Maevium creditorem missum in possessionem bonorum Titii, & poenam solvisse: non ideo Titius liberaretur, ut in interdicto de tabulis exhibendis, d. *L. 3. §. penul. D. de tabul. exhibend.* Quam differentiam hîc Paulus attulerat inter debitorem, & alium à debitore, qui creditorem missum in possessionem rei servandae causâ non admisit: & non insubtiliter deprehendi potest. Ceterùm in §. 1. lectio variat: Florentina legit, *venditor*, quae vix defendi potest. Graeci legunt, *emptor*, quod nullam rationem habet. Quidam Codices habent, *vetitor*, idest, is, qui vetuit, seu prohibuit creditorem missum admitti in possessionem: quod satis durum est. Quidam alii legunt, *debitor*, quod magis placet; & Cujacio magis placuit *lib. 12. observat. cap. 23.*

PAULUS lib. 2. Manualium, in *L. & stipulationum. 14. D. de duob. reis constituend.*

E*T stipulationum Praetoriarum duo rei fieri possunt.*


CAPUT XX.

Differentiae quaedam inter stipulationes Praetorias, & conventionales.

TAntùm abest, ut hîc differentia aliqua deprehendi possit; quin potiùs Paulus ostendere voluit, ut stipulationes Praetoriae, & conventionales in aliquo conveniant. At cum in multis differant, probabile est Paulum, post traditam aliquam inter eas differentiam, subjecisse, quod est in hac *L.* 14. Inter stipulationes Praetorias, & conventionales, multae sunt differentiae: Siquidem Praetoriae stipulationi addi aliquid potest, *L.* 1. in fin. *D. de stipulat. praetor.* conventionalibus nihil addi potest; & quod expressum non est, pro omisso habetur. *L. quidquid. 99. D. de verbor. obligat.* Ex stipulatione Praetoriâ per procuratorem nobis actio acquiritur. *L.* 3. *D. de stipulat. praetor.* Ex stipulatione conventionali actio nobis acquiri non potest. *L. stipulatio. 38. §. alteri. 17. D. de verb. obligation. §. si quis alii. Instit. de inutilib. stipulat.* In stipulationibus Praetoriis, si quid ambiguè, vel obscurè positum sit, Praetor eam ambiguitatem interpretatur. *L. 9. D. de stipulat. praetor.* In stipulationibus conventionalibus ambigua verba contra stipulatorem interpretamur. *L. cum quaeritur. 26. D. de reb. dub.* Denique non ita stipulationes conventionales, ut Praetoriae, pro parte committuntur. *L. 4. §. Cato. D. de verbor. obligat. L. si procurator. 18. D. rem rat. haber.* Cum igitur multae sint inter stipulationes Praetorias, & conventionales, differentiae, Paulus post aliquas differentias ostenderat in aliquo convenire: vel cum id priùs ostendisset, differentiam subjecerat, quae hîc suppressa est, quaeque ex verbis Pauli deprehendi non potest. Paulus ait, *stipulationum Praetoriarum duos reos constitui posse*; ut constituuntur in stipulationibus conventionalibus. §. 1. *Instit. de duob. reis stipul. & promitt.* & in ceteris contractibus, veluti in commodato, si quis duobus eandem rem commodaverit. *L. 5. §. ultim. D. commod.* si quis duobus eandem pecuniam dederit. *L. vir uxori. 17. D. ad SCtum Vellejan.* Testamentô etiam duo rei consti-

tuun-

tuuntur, puta, si quis à duobus heredibus institutis eandem rem legaverit. *L.* 8. §. 1. *D. de legat.* 1. *L. eandem.* 9. sup. *hoc tit.* Differt autem correus à fidejussore: ubi quidem fidejussor potest accedere, ibi & correus constitui potest. *L. nemo.* 5. sup. *eod.* sed obligatio fidejussoris est minor, & accessoria; alia est principalis, & plenior. *L.* 5. *D. de fidejussorib. & mandat. L. Stichum.* 95. §. *quod vulgò. D. de solut. & liberat.* Verùm inter correos debendi, non est alia major, alia minor, sed eadem est omnium obligatio; & si duo fuerint constituti, pariter ab utroque peti potest.



PAULUS lib. 2. Manualium, in *L. servus.* 27. *D. de stipulat. servor.*

Servus communis, sive emat, sive stipuletur; quamvis pecunia ex peculio detur, quod alterum ex dominis sequitur, utrique tamen acquirit. Diversa causa est fructuarii servi.

CAPUT XXI.

Differentia inter servum communem duorum dominorum, & inter servum, in quo alius habet proprietatem, alius usumfructum.

Titius, & Maevius habebant servum communem; Titius unus ex dominis pecuniam servo concessit, ut ex ea negotiaretur, utque administrationem peculii haberet. Servus ex eo peculio Titii aliquid emit, vel aliquid stipulatus est. Quaeritur, an id, quod servus emerit, vel stipulatus fuerit, utrique domino, vel soli Titio acquiratur? Movet, quòd peculium à Titio profectum est, & quòd servus ex re Titii emit, stipulatusve est: & ita videtur, rem emptam, vel deductam in stipulatione, non utrique domino, sed soli Titio acquiri. Paulus tamen ait, utrique domino acquiri: idque magis placuisse ait Gajus, *L. si ex re.* 28. §. 1. inf. *h. tit.* id est, Sabinianis, puta Juliano, & ipsi Gajo, ex eadem schola Sabinianorum, quorum sententiae relatae sunt in *L. communis.* 24. *D. comm. dividund. L. communis.* 45. *D. de acq. rer. domin.* Ratio juris civilis facit, ut ita utrique domino acquiratur, cum neque alteri jusserit stipulari, neque alteri nominatim servus stipulatus fuerit. *L.* 5. sup. *hoc tit.* & ad *L.* 28. §. 3. *D. eod. L. ult. C. per qu. person. nob. acquir.* Nam quia servus communis habet jus stipulandi ex persona utriusque domini, in quorum est potestate, §. 1. *Instit. de stipulat. servor.* debet utrique domino pariter acquirere,

 si alter

si alter stipulari non jusserit, vel alteri nominatim servus stipulatus non fuerit. Veruntamen cum ex re Titii emerit, stipulatusve fuerit, habebit Titius communi dividundo, vel pro socio, actionem adversùs Maevium; ut quod utrique acquisitum est, id solus Titius habeat. d. *L.* 24. *D. commun. dividund.* & d. *L.* 45. *D. de acquir. rer. domin.* Aliud est, si servus duobus dominis bonâ fide serviat; nam ei tantùm acquirit, ex cujus re stipulatur, non utrique. *L. qui bonâ.* 23. §. *si quis duobus.* 2. *D. de acquir. rer. domin. L. si alienus.* 19. sup. *hoc tit.* & ita multùm interest, utrùm servus sit communis duorum dominorum, in quorum est potestate; vel duobus dominis bonâ fide serviat, in quorum non est potestate. Quam tamen differentiam Paulus hìc non attigit, sed eam, quae est inter servum communem, & servum, in quo alius habet proprietatem, alius usumfructum. Equidem servus ille, in quo alius proprietatem, alius usumfructum habet, est veluti communis duorum dominorum. *L. sed & si.* 25. §. 4. *D. de usufruct. & quemadmodum quis utat.* Alius habet dominium proprietatis, alius dominium ususfructûs. *L. in venditione.* 8. *D. de reb. auctorit. judic. possid.* si tamen ex re proprietarii emerit, soli proprietario acquirit, non etiam fructuario: quia non aliter ei potest acquirere, quàm si ex re ipsius emerit, stipulatusve fuerit. d. *L.* 25. §. *quaestionis. D. de usufruct. & quemad. quis utat.* Neque aliter habere jus stipulandi servus intelligitur ex persona domini fructuarii, quàm cùm ex re ipsius stipulatur.



PAULUS lib. 2. Manualium, in *L. ult. D. de solut. & liberat.*


Ei, qui mandatu meô post mortem meam stipulatus est, rectè solvitur; quia talis est lex obligationis: ideoque etiam invitô me rectè ei solvitur. Ei autem, cui jussi debitorem meum post mortem meam solvere, non rectè solvitur; quia mandatum morte dissolvitur.

CAPUT XXII.

Differentia cum quis post mortem suam stipulari, vel solvere mandaverit; seu inter mandatum stipulationis, & solutionis post mortem,

Ostendimus in *libro defensarum lectionum* ex Cujacio, Paulum hìc afferre voluisse differentiam inter mandatum stipulandi, & mandatum solvendi post mortem; eâque differentiâ constitutâ manifestum esse, lectionem

nem Florentinam non esse trajectam, & omnino retineri oportere. Finge, Titius mandaverat Maevio, ut stipularetur decem à Sempronio post mortem suam, puta Titii. Maevius ex mandato Titii stipulatus est decem dari à Sempronio: decessit Titius. Quaestionis est, an Sempronius Maevio post mortem Titii decem rectè solvat? Mandatum quidem morte mandantis extinguitur. *L. 6. D. de jurisdict. L. inter. 26. D. mandat.* & ita videretur, mandatum Titii morte ipsius extinctum esse, nec Sempronium ex eo mandato rectè solvere. Paulus tamen aliter existimat: quia cùm Sempronius Maevio decem solvit, non tam solvit ex mandato Titii, quàm jure stipulationis. *L. aliud.* 106. *sup. hoc tit.* puta, non quia mandaverat Titius, sed quia promiserat Sempronius. Cujus rei argumentum est, quòd Sempronius vivô adhuc Titiô, eoque invitô, centum in stipulationem deducta Maevio solvere potuit, ut se obligatione liberaret. Licèt enim debitor ante diem obligationi adjectum conveniri non possit, *§. si quis agens. 33. Instit. de actionib. L. si pater.* 36. *sup. hoc tit.* potest tamen debitor ante diem solvere, etiam invitô creditore. *L. eum, qui.* 41. *D. de verb. oblig.* quia in obligationibus dies non gratiâ creditoris, sed debitoris adjecta intelligitur; & ideo potest debitor, quocumque tempore voluerit, se obligatione liberare. Sed finge, Titius mandaverat Maevio debitori suo, ut post mortem suam centum Sempronio solveret: negat Paulus, Maevium rectè post mortem Titii solvere centum Sempronio. Et differentiam constituere voluit, cum quis post mortem suam stipulari, aut post mortem suam solvere mandaverit. Primô casu rectè solvitur; secundô non rectè solvitur post mortem mandantis. Ratio differentiae est, quòd in prima specie praeter mandatum Titii stipulatio Maevii intercessit; & ita Sempronius ei rectè solvit post mortem Titii, non propter mandatum, sed propter stipulationem. At in secunda specie nihil est praeter mandatum Titii, quod morte ipsius solvitur; neque ullam habet actionem Sempronius adversùs Maevium debitorem, ut eum cogat solvere. Vulgò obstare existimant *L. si verò. 12. §. ult.* & *L. sequent. D. mandat.* ubi mandatum collatum in tempus post mortem mandantis, morte ipsius non solvitur. Puta, si Titius mandaverit Maevio, ut post mortem suam monumentum faceret, vel ut heredibus suis post mortem suam fundum emeret; potest Maevius post mortem Titii monumentum facere, & etiam fundum emere. Igitur & in specie hujus *L. ultim.* potuit Maevius post mortem Titii Sempronio solvere, cum mandasset Titius, ut ei post mortem suam solveret. Verùm diversitatis rationem observavimus inter mandatum faciendi, & solvendi, ubi lectionem Florentinam defendimus.



PAULUS lib. 2. Manualium, in *L. is, cujus.* 85. *D. de furt.*

IS, *cujus interest non subripi, furti actionem habet, si & rem tenuit domini voluntate; id est, veluti is, cui res locata est. Is autem, qui sua*


sua voluntate, vel etiam pro tutore negotia gerit; item tutor; vel curator ob rem culpâ suâ subreptam non habet furti rationem. Item is, cui ex stipulato, vel ex testamento servus debetur, quamvis intersit ejus, non habet furti actionem. Sed nec is, qui fidejussit pro colono.

CAPUT XXIII.

Differentiae inter eos, quibus actio furti competit, quia interest furtum non esse commissum.

II furti agere possunt, quorum interest, rem non subripi. *L. cujus.* 10. sup. *hoc tit. L. ult.* in princip. *C. eod. L.* 2. §. *& generaliter. D. de vi bonor. raptor.* Paulus *lib.* 2. *sentent. tit.* 31. Paulus tamen hîc inter eos, quorum interest, rem non subripi, differentiam constituit: ut ii, quorum interest, ita demum furti agere possint, si rem teneant domini voluntate. Veluti is, cui res locata est, puta colonus, potest furti agere: quia & ipsius interest, & rem domini voluntate tenet. *L. eum, qui.* 14. §. 2. *L. si quis.* 52. §. 8. *L. fullo.* 82. §. 1. sup. *hoc tit.* Ita etiam fullo potest furti agere, qui vestimenta sarcienda, aut polienda conduxit. §. *item si fullo. Instit. de obligat. quae ex delict. nascunt. L. itaque.* 12. in princ. *L. qui vas.* 48. §. *si ego.* sup. *hoc tit.* Eâdemque ratione creditor furti agere potest, si res pignorata ei subripiatur. *L. si pignore.* 22. *D. de pignor. act. L. creditoris.* 15. & *L. creditori.* 87. sup. *hoc tit.* & depositarius, qui rei depositae custodiam susceperit. d. *L.* 2. §. *& generaliter. D. de vi bonor. raptor.* quia & rem domini voluntate tenent, & ipsorum interest non subripi. At negotiorum gestor, & protutor, qui se tutorem existimat, non possunt furti agere, licèt ipsorum intersit: quia non tenent rem domini voluntate, *L. qui injuriae.* 53. §. *qui alienis.* sup. *hoc tit.* Neque etiam tutor, aut curator furti agere potest, ob rem culpâ eorum subreptam: nec is, cui res ex stipulatu, aut ex testamento debetur; licèt ipsorum intersit: nec etiam fidejussor, qui pro colono intercessit, si res locata colono subripiatur. *L. is, cui.* 13. *& seq.* §. 10. sup. *hoc tit.* Non omnes igitur, quorum interest non subripi, furti agere possunt; sed ii solùm, qui rem domini voluntate tenent; puta colonus, fullo, creditor, in quos dominus naturalem possessionem transtulit. *L. communi.* 7. §. *neque colonis. D. commun. divid. L. Celsus.* 5. in princ. *D. ad exhibend. L. servi.* 16. *D. de usurpat. & usucapionib.* Eamque ipsam differentiam, quam hîc Paulus attigerat, Modestinus fortè attigit *lib.* 2. *Differentiar. in collat. leg. Mosaic. cum leg. Rom. tit.* 10. *de deposito.*

PAU-



PAULUS lib. 1. Manualium, *in L. ex illa.* 227. *D. de verb. signific.*

EX *illa parte edicti*, Tum quem ei heredem esse oportet, *heredis heredibus bonorum possessio non defertur. Item in substitutione his verbis*, Quisquis mihi heres erit, *proximus heres tantùm significatur; imo non tantùm proximus heres, sed etiam scriptus.*

CAPUT XXIV.

Differentia in heredis appellatione, quae quandoque ad primum coarctatur, quandoque ad ulteriores extenditur.

HEredis appellatio regulariter non ad primum heredem coarctatur, sed & ad ulteriores heredes extenditur ita, ut heredis heres intelligatur esse testatoris heres. *L.* 3. *D. de heredit. petit. L.* 7. in fin. *D. de acquir. vel omitt. heredit. L. ult. C. de heredib. instituend.* heredisque appellatio per multas successiones accipitur. *L. codicillis.* 18. *D. de ann. legat. L.* 2. *D. de liberat. legat. L. quamvis.* 40. *D. ad SCtum Trebellian. L. heredis.* 65. sup. *hoc tit. L. antiquitas.* 14. *C. de usufr. L. in omnibus.* 22. *C. de legat.* Quod expressit Horatius *lib.* 2. *epist.* 2. *v.* 175. *seq.*

- - - - - Et heres
Heredem alterius, velut unda supervenit undam.

Nam ut unda, quae undae supervenit, eadem esse intelligitur; ita & heredes, qui aliis succedunt, licet per multas successiones, iidem semper heredes esse intelliguntur ita, ut heredis heres videatur esse testatoris heres. d. *L. ult. C. de heredib. instituend.* Quandoque tamen heredis appellatio ad primum referenda est, non ad ulteriores. Veluti in edicto Praetoris, quo defertur bonorum possessio ei, quem heredem esse oportet jure civili. *L. unic. D. ut ex legib. Senatusveconsultis bonor. possess. det.* Finge, Agnato proximo delata est hereditas: si ante agnitam bonorum possessionem decesserit, heredi ipsius non defertur: atque ita heredis appellatio ad primum refertur. Et in substitutione pupillari, quando pater substituit filio suo impuberi, *Quisquis mihi heres erit, idem filio meo impuberi heres esto:* is, qui fuit patri heres, his verbis ad substitutionem vocatur; non etiam heredis heres. *L. qui liberis.* 8. *D. de vulgar. & pupill. substit. L. sciendum.* 70. sup. *hoc tit.* ubi & alias species Paulus retulit, in quibus heredis appellatio de primo herede debet intelligi, non ad ulteriores extendi. Eandemque differenciam Modestinus attigerat *lib.* 1. *Differentiarum*, ut deprehenditur in *L.* 3. *D. de vulg. & pupill. substit.* atque etiam *lib.* 6. *Differentiarum*, ex quo sumptae sunt *L.* 7. *D. de his, quae ut indign.* & *L. qui per successionem.* 194. *D. de regul. jur.*

CA-

CAPUT XXV.

Ratio probabilis, cur nullum fragmentum extet ex libro tertio Manualium Pauli.

CUm in libris Manualium differentias juris Paulus executus esset, ut supra ostendimus, easque Manualium nomine inscripsisset, quasi prae manibus haberi debeant; haud immeritò quaeri potest, cur tam pauca ex hisce Manualium libris Fragmenta in Pandectis relata fuerint. Sed dicendum est, in tribus libris Paulum non ita multas differentias complexum fuisse, plures Modestinum in libris novem Differentiarum; & cum posterior Modestinus scripsisset, potiùs ex libris Differentiarum Modestini, quàm ex libris Manualium Pauli relatas fuisse. Mirum verò magis videtur, cur ex *lib.* 3. *Manualium* Pauli nullum extet Fragmentum in Pandectis. Adeone inutiles visae sunt istae differentiae compositoribus Pandectarum, ut eas rejicere voluerint? Id quidem minimè putandum est, & alienum ab inscriptione Manualium, quae non modò utilitatem, sed quandam sciendi necessitatem inferunt. Suspicor, Paulum in eo libro tertio differentias juris retulisse, quod temporibus suis obtinebat, & postea à Justiniano immutatum fuit. Veluti plures fuerant differentiae inter quatuor genera legatorum, ex quibus septendecim aliàs observasse memini. Nec tantùm erant inter ipsa legata differentiae, sed & inter legata, & fideicommissa. At cum Justinianus unam, eandemque naturam legatis omnibus tribuisset, quocumque modo; quibusve verbis relicta essent: & legata fideicommissis, fideicommissaque legatis exaequasset, *L.* 2. *Cod. commun. de legat. & fideicommiss. L. unic.* §. *ubi autem*. 11. *C. de caduc. tollend.* Ita sublatae sunt legatorum invicem differentiae, & legatorum cum fideicommissis. Plures quoque fuerant differentiae inter usucapionem, & praescriptionem, quas Justinianus sustulit, transformatâ usucapione in praescriptionem longi temporis. *L. unic. C. de usucap. transformand.* Plures inter rei uxoriae actionem, & actionem ex stipulatu, quas Justinianus sustulit. *L. unic. C. de rei uxor. act.* Plures inter receptitiam actionem, & constitutam pecuniam, quas Justinianus sustulit. *L.* 2. *Cod. de constit. pecun.* Plures inter Senatusconsultum Trebellianum, & Pegasianum, cum restitutio fideicommissae haereditatis fieret ex hoc, vel illo Senatusconsulto, quarum nonnullas retulit Ulpian. *lib. singul. regul. tit.* 25. *de fideicommiss.* Justinianus in §. *sed quia heredes*. *Institut. de fideicommiss. heredit.* & quasdam alias deprehendimus *lib.* 7. *observat.* quas Justinianus sustulit, transfusô Senatusconsultô Pegasianô in Trebellianum; vel Senatusconsulto Trebelliano accomodatâ omni auctoritate, explosô Pegasianô. *L.* 2. §. *de legatis. Cod. de veter. jur. enucleand.* Cum igitur Justinianus jus vetus emendasset, immutasset; eâque emendatione, immutationeve veteris juris differentias sustulisset, non improbabiliter dici potest, Paulum eas differentias juris à Justiniano posteâ emendati *lib.* 3. *Manualium* attigisse: quae quia sublatae fuerant, ideo eas Pandectarum compositores ut supervacuas praetermiserunt.

EMUN-

EMUNDI MERILLII
J. C. CONSILIARII REGII
Antecessoris Academiae Biturigum Primicerii

ORATIO

De Tempore in studiis Juris prorogando.

Habita solennibus initiamentis scholae Bituricensis
Anni M. DC. XXI.

Ad Illustrissimum, & Excellentissimum Regiae stirpis Protoprincipem

HENRICUM BORBONIUM

Condaeum Proregem Biturigum.



EMUNDI MERILLII

JURISCONSULTI

ORATIO

De Tempore in studiis Juris prorogando.



CONFECTIS absque ullâ intermissione voluntariâ, aut causariâ, legitimis viginti annorum stipendiis, jam studiis vacationem impetrare, & dulcioris vitae quieti tradere me oporteret. Sed ecce ex veterano ad Tyrocinium, & quasi ab ultimo stadio ad carceres revocor, iniquissimâ conditione Antecessorum in Galliis, ut prius morte, quàm missione eorum militia finiatur. Longè verò dispari sorte studiosorum; Etenim vix numeris inserti sunt, vix signa venerati, vix Principia ingressi, ut castra deserunt, ut missionem postulant. In Academiis minimùm diversantur, & ex iis tanquam pestibili aliqua regione ocyus avolant. Illum fortasse olim parentum vota urgebant, qui senio ingravescente superstites in dignitatibus suis filios videre gestiebant; illum quandoque parentum imperitia revocabat, qui nec modum, nec rationem studiorum noverant. At jam omnibus fere persuasum, nulli usui esse Academias; nec jam vulgus, sed primores studia liberis abrumpere properant. Ego quidem non tantum auctoritatis meae valere existimo, ut adversùs mores publicos solus sapere, ac benè sentire velle videar: dicam tamen, quod sentio, ita juris justitiaeque ignorationem introduci, bonam juvenum indolem frangi, consultos judices civitatibus eripi, totius denique regni statum pessumdari. Satis uberem dicendo fructum consecutus fuero, si qui audiunt, quique adsunt, ex variis oris, atque provinciis lectissimi juvenes posthac apud nos diutiùs morari cupiant. Quòd si nihil proficiam, juvabit etiam sterilis orationis conscientia; juvabit, quòd publicae utilitati, quod privatorum commodis conducere aliquando putavi, id ex hoc loco, coram istâ audientium frequentiâ, verbis non tam accersitis, quàm ad eam rem necessariis testatum reliquisse. Scientiam juris latissimè patere, multaque suô ambitu continere palam est: illa enim res divinas atque hu-

 manas,

humanas, juris publici privatique exercitionem, justi atque injusti discretionem, aequitatis temperamentum sibi vindicat. Quae omnia nonnisi continuâ annorum serie disci possunt. Ceterae artes angustioribus terminis concluduntur, simpliciores habent tractatus, definitiones, seu regulas certiores, & facilius multò comparantur. Ac veluti lanae alios colores primâ infectione ducunt, alios nonnisi saepe incoctae, & maceratae bibunt: ita ingenia alias disciplinas protinus, alias magnis tantùm nisibus accipiunt. Scientia juris est hujusmodi, ut non levi aliquâ aspersione, sed repetitis perfusionibus in nos valeat penetrare. Ecquid verò ex ea retinent studiosi, qui vix ad nos accesserunt, cum de discursu cogitant; vix recitationes aliquas acceperunt, cùm satis superque institutos se arbitrantur? Plerique id aetatis huc se conferunt, cum plenam pubertatem attigerint; tum variis motibus animorum percelluntur, praecordia incalescunt, inflatiores venae turgent: prima illa aetas, quae pubertatem excipit, parum apta est disciplinae, festinantius abeuntes statum aetatis anteveniunt, nec fructus sui autumnitatem expectant: cùm proficere incipiunt, statim subducuntur, antequam se sentiant profecisse. Tales nihilominus ad reipublicae administrationem abeunt, ad magistratus, ad primarias dignitates: ii sunt, qui de fortunis omnium, de existimatione, de capite judicant, à quibus nec licet provocare. In rudimentis experimenta faciunt, hinc prae ignoratione Juris Romani tot litium semina, tot judiciorum invicem discrepantium congeries, quibus hodie non sufficiunt collectores; adeo in tantam molem excreverunt. At supervacua est ista (quam vos, Antecessores, jactatis) scientia; ab ea mores Galliarum in plurimis Provinciis recesserunt: cui rei sunt apud nos actionum formulae, contractuum distinctiones, testamentorum observationes, heredum institutiones, substitutiones, interdictorum varietates, quaeque alia ab usu remota sunt? forte in responsis prudentum perspersae quaedam occurrunt rationes, quibus tamen in judicando non astringimur: &, ut ante Justinianum, voluntate judicum magis, quàm legitimâ auctoritate lites dirimuntur. An non verò satis est crebras rationes occurrere, subtilibus ingeniis adinventas, mirabili aequitate temperatas, quibus ratio naturalis perficitur? Nam quemadmodum in corpore nativus calor sopitus, aut imbecillis, extrariis fomentis excitatur; ita quae nobis insita est ratio, adhibitis frequentibus prudentium hominum rationibus juvatur, atque confirmatur. Hae tanti momenti visae sunt, ut omnes olim ferè gentes potiùs jure Romano, quàm propriis legibus, aut moribus regi voluerint; & quae hodie Romano imperio minimè subsunt, legibus tamen Romanis parere non aspernantur. At si necessaria est juris Romani notitia, si plurimum ad juvandam rationem conferat; absque opera Antecessorum, propriis laboribus eam consequi possumus: ita in libris Jurisconsultorum plana sunt omnia, ita lectiones certò vindicatae, expositionibus illustratae, ut per se quisque ad perfectam juris cognitionem valeat pervenire. Vel unus sufficit Cujacius, nec alio Doctore opus; nec adeo necesse est, tam diuturnô temporis dispendiô in Academiis studia prorogare. Excellentia quidem ingenia, eximiis naturae munita praesidiis, pervicaci industriâ possunt aliquando scien-

tias

tias assequi; sed quàm paucis concessum est: quàm verò facilius alienô labore adminiculari; & quod aliorum curis, vigiliis diu quaesitum est, id absque ullâ sollicitudine invenire? Permulti sanè scriptis suis juri Romano lucem attulerunt, sed nonnulli alii tenebriones offucias ingesserunt; diligendi sunt inter malos boni, inter bonos optimi. Apud nos Cujacius solertissimi, & fidelissimi interpretis laudem meruit; ipsius doctrinae insistendum praedicamus. Ac veluti Antisthenes sectatores monebat, ut sui essent sub Socrate condiscipuli: ita & nostros ipsi potissimûm assuescere praecipimus. Sed Cujacius interpretem desiderat; sed unus per omnia melior non invenitur. Nec tam effoeti hodie omnes sumus, ut non aliquid ex nobis proferamus. Qui Cujacium merum crepant, illum minimè intelligunt: soli Cujacio uti norunt, qui ad ingenium, & laborem ipsius, & ad eam, quam praeivit, in scholis publicis docendi rationem propiùs accesserunt. Interpretum quidem diligentiâ studiosos juvari non diffitemur, sed eos, qui provecti sunt; tyrocinia auspicantes magistrâ voce opus habent: est profectò, est aliquid in vultu dicentium, quod in scriptis non invenitur; verbaque penitiùs, quàm scripta, sensibus intimantur. At magis commodè aliis in locis, quàm apud vos Antecessores juri operam dari convenit. Vestrae Academiae sodalitiis nationum turbulentis, compotationibus crebris, contentionibus rixosis, immo etiam caedibus infestae sunt. Vulgò istas voces jactitant nomicosophistae quidam, ut neglectis Academiis commendari mereantur. Frustra igitur Majores nostri Academias instituerunt, frustra innumeris privilegiis donatae sunt, frustra ex regionibus longè dissitis Antecessores adeuntur; si quisque apud suos aequô studiorum profit incrementô. Ubi Academiae fuerunt institutae, Genium aliquem loco inesse fatendum est, qui docentium simul, atque discentium animos excitat, nec scientiarum decus sinit intermori. Atque id in Bituricensi Academia manifestum deprehenditur: haec inter alias continuâ successione praestantes aluit viros, qui aeternam sibi, ac civitati celebritatem pepererunt. Agnoscunt omnes Biturigis sedem Academiae perquàm opportunam, ob aëris, coelique temperiem, locorum amoenitatem, annonae copiam, aedificiorum laxitatem, sermonis elegantiam, incolarum humanitatem. Nec modò ipsi sunt perhumani, sed aliis etiam mansuetudinem conciliant: cum feroculos aliunde juvenes hîc modestiùs agere, Doctores suos reverentiùs habere, clamores & strepitus scholis exulare videamus. Quae omnia anxia Magistratuum diligentia superat, ne studiosi in partes, coetusve abeant, rixas moveant, neve quidquam ipsi ab aliis patiantur. Quid non studiosi Antecessorum latus claudentes, eorumque perpetuis, ac nunquam interruptis expositionibus se praebentes, eo loco praestent? Cum ad suos redierunt, domesticis negotiis, cognationibus, & familiaritatibus tuendis occupantur; conditionibus quaerendis, conjugiis, educatione liberorum, muneribus publicis distinentur: nec jam eos studere oportet, sed quondam studuisse. Sunt qui Parisiorum civitatem studiis juris commodissimam praedicant, ubi privata sunt Auditoria eorum, qui se Jurisconsultos ingenti titulô venditant; ubi etiam forenses disceptationes in maximo Senatu habitae, juri Romano admiscentur. Sed quàm aptiora sunt loca,

quae

quae tranquillos secessus, & minus turbarum habent? in opulentissima, & frequentissima civitate multa obversantur, quae animos studiosorum avocant, Ambulacra, ludi, spectacula, aleae, scorta, ganeae: quibus alios patrimonium imminuisse, alios solidum consumpsisse apparuit, dum se Doctorum suorum limina terere simulabant. Quinam verò isti Doctores in privatis auditoriis? quicquid faciunt, propriis quaestibus, non scientiae dignitate metiuntur: nummis student, nummis docent, mercedulas quaerunt, marsupia implere satagunt, nec magnopere curant alios vacuô cerebrô dimittere. Manualia quaedam, & Catholica praecepta, quasdam species, quasdam legum pugnantias sectatoribus suis ingerunt: Cujacii libros in auctoritatem scientiae obtrudunt, iisque perperam intellectis abutuntur. Ita rem sanctissimam nummariô pretiô aestimantes dehonestant, & germanam docendi rationem adulterant. Quales inter Philosophos sophistae, inter causidicos rabulae, inter medicos empeirici, inter mercatores seplasiarii & mangones, inter aurifices nugivendi; tales illi profectò sunt inter Jurisconsultos. Et mirum est, hujusmodi homines constitutionibus Principum interdictos, nec infimorum, nec obscurorum hominum suffragiis tolerari, quibus pridem tolli debuissent. Sub illis studiosi ad memoriae ostentationem, non ad judicii perfectionem informantur; traditiones suas ex oris promptuario recitare norunt, (legum psittacos, aut graculos verè dixeris) quae cum memoria exciderunt, inscii planè, atque expertes totius legitimae scientiae deprehenduntur. In Academiis Antecessores ante publicô judiciô probati, quàm ad munera admittantur, in primis habent publicae expectationi satisfacere; veritatem, quae variis opinionibus immersa est, in apertum proferre; mereri magis, quàm captare gloriam. Et quidem illos admodum Bardos, atque infeliciter natos esse oporteat, si non veros doctrinae tramites continuis laboribus inquirant; & quod ingenio, vel naturae deest, jugi exercitatione suppleant. Consultius faciunt, si forensis triturae usum, si consuetudines cujusque loci in expositionibus suis praetermittant, ne genuinam juris Romani pulchritudinem inconcinnâ admixtione devenustent; tum ut vacet studiosis res necessarias addiscere, titulorum seriem observare, capita legum vestigare, auctorum tempora signare, sectas distinguere, species fingere, controversias exponere, antinomias in concordiam reducere. Parva vitae tempora scholis negari non debent, cum reliqua aetas foro deputetur. Adhuc alios fortius studia juris abjicere video, quòd publica sit venalium dignitatum, atque officiorum nundinatio; nec eruditis ob merita, sed licitantibus ob majores pecunias deferantur. Istud quidem studiorum exitiale virus, cujus perniciem jam persentiscimus, olim tamen (ni Deus avertat) toti regno interitum allaturam. Ita omnes pecuniae, non eruditionis beneficiô viam sibi ad magistratus parant: ita sordibus, rapinis, fraudibus, corruptelis fores referantur, virtutibus occluduntur. Verùm spes est, brevi fore, ut cum partes Haereticorum à Rege Christianissimo fractae, disjectaeque fuerint; & res Gallicae legionibus in tuto positae, bonis deinde legibus emendentur. Malum, quod motuum civilium licentiâ grassari coepit, firmatâ pace conquiescet. Hoc etiam à te expectamus, Protoprinceps Galliarum, &

Pro-

Prorex Biturigum potentissime, celsissime; qui ut natalium origine, sic etiam ingenii praestantiâ, atque optimâ institutione ceteros antecellis. Tu bellicas expeditiones summô consiliô, nec minori celeritate conficis. Tu rerum omnium divinarum, atque humanarum accuratissimam peritiam indeptus es: non alius novit Haereticorum erroneas opiniones fortiùs oppugnare, non alius inter consistorianos Regis Adsessores prudentiùs sententiam dicere, inter supremorum tribunalium senatores subtilius litigantium jura deprehendere: Nec te fugit, quanti sit, Academias bonis legibus stabiliri. Haec igitur Bituricensis, quae retro Principum curam meruit, quaeque eorum beneficentiâ ornata est, tutelam, atque conservationem nuperè suscepisti; à te potissimum expetit, ut certum tempus studiis juris edictali sanctione statuatur, quam nec temerè, nec impunè liceat violare. Vos magistratus, qui in consilio Regis agitis; quique alii ad summa culmina dignitatum evecti estis, vos (inquam) ea cura sollicitet, nec indignum animadversione vestrâ arbitremini, Academiarum languentium saluti providere. Vos parentes, qui praeproperè liberos ad vos remeare contenditis, vota paulisper sustinete: finite, liberorum studia cum aetate adolescere; merita prius, quàm dignitates liberis optate; easque non pretii magnitudine, sed pondere meritorum in ipsis aestimate. Vos, liberi, non tam spontaneò discessu purissimos fontes Academiarum, & fluenta perpetuò currentia relinquite; ut alibi stagnantes aquas, & coenosas paludes epotetis. Vos, Antecessores, quicunque juri docendo praefecti estis, dum juris scientiam vestris laboribus cultiorem facere connitimini; illiberali quaestu posthabitô, cavete, ne obvii quique, & sine delectu, nullâque studiorum habitâ ratione ad gradus admittantur. Parciùs tamen collegas nostros suavissimos de eo monitos intelligo, quod ab illis sanctissimè observari scio.

FINIS.